ANTIDOTARIVM,

SIVE

DE EXACTA COMPONENDO-
RVM MISCENDORVMQVE ME-
DICAMENTORVM RATIONE
LIBRI TRES,

Omnibus Pharmacopœis longè vtiliſſimi,

Ex Græcorum, Arabum, & Recentiorum Medicorum ſcriptis maxima cura & diligentia collecti.

Nunc verò primùm ex Italico ſermone Latini facti.

Spetiaria Coll.^{ij} Rom.

ANTVERPIAE,
EX OFFICINA CHRISTO-
PHORI PLANTINI.
M. D. LXI.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

12.22. E. 12

Summa priuilegij.

C*Autum eſt diplomate Regio, ne quis* Antidotarium hoc, ſiue de exacta cõponendorum miſcendorumq; Medicamentorum ratione libros tres *in hiſce ſuæ Maieſtatis ditionibus præter Chriſtophorum Plantinum vllo modo proximo triennio imprimat, vel alibi impreſſum importet, aut venum exponat ſub graui multa, vt latius habet Priuilegium. Datum Bruxellis, 7. Februarij. An. M. D. LXI.*

Boudewijns.

CAROLVS CLVSIVS PETRO COLDENBERGO PHARMACOPOEO ANTVERPIANO S.

PRODIIT ſuperioribus diebus Libellus italicè conſcriptus (Diſpenſarium vocant) medicamentorum compoſitiones continens. Eum cùm perlegiſſem, dignum iudicaui qui & reliquis nationibus eius linguæ ignaris cõmunicaretur: nam in eo medicamenta meliori methodo deſcripta conſpiciebam, quàm in reliquis Antidotarijs, & multas inſuper veterũ Medicorum compoſitiones in vſum reuocari, quæ à maioribus noſtris planè neglectæ fuerant. Qua re tecum communicata, hortari me cœpiſti, vt illum latinum facerem. Ego qui noueram me huic oneri imparem, nec tam confirmato eſſe iudicio, vt in hac Medicinæ parte præclari quidquam à me expectari debeat, quantum potui reluctatus ſum, ne meam inſcitiã proderem: ſciebam enim quàm præclarè cum illis agatur, quibus hoc tempore priuatim ſuis ſtudijs frui licet. Sed cùm nihil agerem, idque à me tu & Plantinus tantoperè expeteretis, cona-

tus ſum mihi perſuadere, vobis aſſentiendum eſſe, meum iudicium quantum potui fallens. Quòd ſi conceptæ ſpei noſter conatus non reſponderit, veſtro periculo id eſto, quandoquidem me huc impuliſtis. Vides igitur, mi Coldenberge, quàm duram vterque ceperimus prouinciam: tu, qui talem opinionem de me conceperis: ego, qui, dum eam veram eſſe mihi perſuaderi ſino, negotium hoc ſim aggreſſus. Verſionem itaque ad finem perduxi, de qua hoc affirmare poſſum, ſummam me operam adhibuiſſe, vt, ſi minus feliciter, at certè fideliter & propriè ſingula redderentur, & cõpoſitiones aliquot corruptæ reſtituerẽtur: qua in re plurimũ mihi profuiſti, quemadmodũ nonnullæ cõpoſitiones à te emendatæ ac reſtitutæ teſtari poſſunt. Ad hæc ſingulorum ferè medicamentorum facultates ex ipſis Autoribus collectas adieci, ne quid in alijs eſſet, quod in hoc deſiderari meritò poſſet. Denique talem effeci, vt cum optimis quibuſque Antidotarijs conferri poſſet. Cæterùm, tametſi huius vtilitatem ſatis pro dignitate commendare non queam: quoniam tamen varia ſunt hominum iudicia, atque ille hoc, hic

illud

illud præferendum cenſeat, fieri non poteſt vt quis omnibus placeat, atque adeò hæc ratio eſt, cur tot quotidie prodeant nouæ Medicamentorum formulæ. Sed vtinam, aut tu, (quod futurum ſpem feciſti) aut alij viri eruditi in Nicolao reſtituendo operam aliquando collocetis, vt hic ſuo nitori ad veterum exemplarium fidem reſtitutus, vnus proponatur omnibus Pharmacopolis, cuius normam in conficiendis medicamentis ſequantur, relictis vulgaribus Diſpenſarijs plerunque corruptiſſimis: aut ſanè D. Rondeletij viri doctiſſimi Pharmacopœa in publicum tandē emittatur: hæc enim vna multorum Diſpenſariorum inſtar omnibus eſſe poſſit. Quod reliquum eſt, non inconſultè me facturum exiſtimaui, ſi opus iam abſolutū tuæ fidei committerem, & veluti tuum facerem: Nam, cùm ad eius verſionem mè impuleris, eius etiam curam atque patrocinium te ſuſcipere æquum eſt, illud apud te cogitans, vt ſi dignum iudices, in publicū prodire ſinas, ſin minus, ſupprimas. Vale, Pariſijs 1561. Cal. Aprilis.

CLARISSIMIS VIRIS
CONSVLIBVS FACVLTATIS MEDICAE ET
Pharmacopœæ in vrbe Florentina,

COLLEGIVM MEDICORVM S.

M AGNA *cum ratione prudentiaque à veſtris anteceſſoribus conſtitutũ fuit, viri Clariſsimi, vt omnes huius noſtræ vrbis Pharmacopœi, in Medicamentis componendis, idem Antidotarij exemplar ſequerentur: ne, ſi qui fraudem committere vellent, facultas illis adimeretur, in eos animaduertendi. Quæ ſanè fraus facilè latere potuiſſet, ſi pharmacopœi Medicamenta ſua ad eandem normam componere coacti non fuiſſent. Hinc factum eſt, vt qui id temporis Magiſtratu fungebantur, collegio Medicorum prouinciam dederint, ſingulas Medicamentorum compoſitiones, Receptas vulgò appellant, examinandi, ac in vnum quaſi corpus colligendi: ijs animaduerſionibus adhibitis, quas Medicamentorum cõpoſitionibus neceſſarias iudicarent. Et hæc quidem omnia lingua vulgari et vernacula, vt cùm his qui in vrbe, tum ijs qui in hac vniuerſa ditione ſunt, communia eſſent. Quibus ſumma cum diligentia peractis, Compoſitiones omnes quæ in vſu erant, in vnum volu-*

men tranſcripſerunt, quod in hunc vſque diem omnibus Pharmacopœis commune fuit.

Cæterùm cùm perierit hic liber, & alia pleraque noua Medicamenta in lucem prodierint: iiſdem impulſi rationibus, quibus maiores veſtri, & veſtros Pharmacopœos eandem regulam in Medicamentorum compoſitione ſequi cupientes, Medicis huius ætatis præcepiſtis, vt, perlecto eo Antidotario quod olim in vſu fuit, ea inſuper illi adderent, quæ magno cum iudicio euulgata ſunt.

Dum autem per omnia vobis ſatisfacere, vt decet, ſtudemus, ea qua potuimus breuitate & perſpicuitate in hunc librum collegimus, quicquid ad munus nobis iniunctum neceſſariò requiri poſſe arbitrati ſumus.

Vos itaque conatum hunc noſtrum boni conſulere, & de eo, in Reipublicæ vtilitatem, ac Dei gloriam, pro veſtra prudentia conſtituere, etiam atque etiam rogamus.

ARGVMENTA SINGVLORVM LIBRORVM.

PRIMVS, De Medicamentorũ ſimplicium delectu ritè faciendorum de eorundem præparatione ac conſeruarione agit: denique Medicamentorum compoſitorum genera, eorumq́ue miſcendorum & adminiſtrandorum rationem explicat.

SECVNDVS, Omnis generis Medicamenta, quæ hodie in vſu ſunt, continet, eaq́ue ex varijs Autoribus excerpta, vt cuilibet ex Medicamentorum inſcriptione perſpicuum eſt.

TERTIVS, Isq́ue vltimus, Ponderum & Menſurarum deſcriptiones docet: deinde Succedaneorũ catalogum ex veteribus Medicis collectorum complectitur.

ANTIDOTARII, SIVE DE COMPONENDORVM, MISCENDORVM'QVE MEDICAMENTORVM EXACTA RATIONE

Liber Primus.

De Pharmacopœi officio.

FELICI ingenio, & corpore benè conſtituto, moribus item compoſitis Pharmacopœum eſſe decet, liberalem, non auarum, fidum, & à pueris in ſimplicium cognitione diligenter non ſolùm verſatum, ſed qui omnia loca perluſtrarit, vnde ſibi plantas, aliaq; medicamenta colligere poſsit. Latinæ præterea linguæ tam peritum eſſe oportet, vt Dioſcoridem, Galenum, Serapionem, Meſuem, Auicennam, reliquosque qui de materia φαρμακευτικῆ ſcripſerunt, intelligere poſsit.

Eius officina ſalubri loco ſita ſit, quam nec venti perflent, nec Sol permeet, nec fumus, nec teter odor vllus moleſtus ſit: varijs præterea reponendis conſeruandisq; accommoda: nonnulla ſiquidem locis ſubterraneis, pleraque æditioribus præparanda & conſeruanda ſunt. Hortum inſuper, aut locum aliquem Soli expoſitum habeat, in quo & ſiccare quæ ſiccanda ſunt, & albedinem etiam quibuſdam medicamentis conciliare poſsit: in quo denique omnia ea parari poſsint, quæ ex Medicorum præſcripto ad Solem confici debent.

Quæ verò locis planis duntaxat naſcuntur, ea locis ſiccioribus,& à lacubus & fluminibus procul diſſitis colligenda ſunt, niſi riguis gaudeant, vt nymphæa,tribulus aquaticus,lens paluſtris & ſimiles.

Cæterùm iam florentes, & ſemen quodammodo conficientes colligi debent cælo ſereno,nullis per aliquot ante dies decidentibus pluuijs,nec etiam rore nimium madentes,nimioúe Solis calore retorridæ.

Deligẽdæ ſunt ſucci plenæ,floridæ,fugiendæ grandiores,graciliores & marcidæ. Comæ ergò cum folijs & floribus ſumendæ.

Siccentur in vmbra loco ad Meridiem ſpectante, non humido,pulueriſque & fumi experte.

Pyxidibus reponendæ,ne à prædictis offendi poſſint. Seruant ſuas vires annum vnum:itaque quotannis renouandæ,niſi ſi anno collectæ fuerint, cuius temperies admodum ſicca fuerit pluuiarumque expers: & cõtra ſubſequatur æſtas admodum humida: tunc enim præſtat his vti, quæ ſicco illo anno ſuperiore collectæ ſint, quàm quæ ſubſequenti pluuioſo.

De Herbis Peregrinis.

QVOD ad Peregrinas herbas attinet,quæ apud Veteres in pretio erãt, certisq; quibuſdã locis naſcerẽtur, ad quos nunc nõ datur acceſſus,eamq; ob cauſam non adferuntur: omni diligentia animaduertendum eſt,an apud nos naſcantur: deinde an illis facultate reſpondeant,notiſque à Dioſcoride atq; alijs tum veteribus tum neotericis authoribus delineatis: an præterea natales conueniant, veluti ſi montes ſint ſimiles, quales hi erant in quibus naſcebantur, quæ tantoperè ab illis laudabantur. His certè ſimiles ſunt in Italia multi, præſertim in Hetruria & Liguria, in quibus herbæ colliguntur nõ minus generoſæ,quàm quæ è Creta,alijsúe locis celebratis petebantur,præſertim ſi nec ver, nec æſtas admodum pluuia fuerit, obſeruato ſcilicet tempore colligendi,& reponendi

modo,

modo, vt ſuprà dictum eſt.

De herbis peregrinis quæ apud nos non naſcuntur.

EAE herbæ quæ apud nos non creſcunt, quaſque omnino aliunde aduehi oportet, ex Medicorum ſcriptis, vſuque quotidiano, notis quibuſdam generalibus facile cognoſci poſſunt, è quibus depræhendere licet, num eæ plantæ collectæ fuerint loco, tempore, modoque conuenienti, tum etiam repoſitæ, ita vt nec temporis, nec loci, nec vecturæ ratione incõmodum vllum paſſæ ſint; quod ex odore, ſapore, & earum colore deprahenditur, ſi inſuper folia & flores ipſis ramis cohæreant.

De Floribus.

FLORES qui in quotidianum vſum veniunt, magna ex parte apud nos naſcuntur: colligunturq; iam aperti, antequam marceſcant, ijs locis in quibus ipſæ plantæ maximè celebres ſunt. Siccantur & reponuntur vt ipſæ herbæ, durantque in ſua facultate annum: ſingulis verò annis renouari debent, vt de Herbis dictum eſt.

Qui aliunde aduehuntur, ex odore, ſapore, & natiuo colore dignoſcuntur: ſi præterea adhuc integri ſint, nec cõminuti, vel ſi nullũ aliàs vitiũ contraxerint.

De Seminibus.

SEMINA noſtratia ijs locis colligenda ſunt, quibus præſtantiſsimæ herbæ naſcuntur, eo nempe tempore, quo de herbis dictum eſt, cùm videlicet maturuerunt, antè quàm decidant. Deligantur pleniora, non rugoſa, & quæ odorem ſaporemque ſui generis perfectiſsimum ſeruant. Siccantur vt herbæ, deinde vaſculis vitratis aut ſacculis reponuntur, locoque ſicciore & humiditatis experte. Cæterùm quæ certis regionibus celebrabantur (vt etiam ipſæ herbæ) his locis, ſi fieri poteſt, colligi debent, quæ proximè accedant ad eorũ ſimilitudinẽ, quæ à veteribus cõmendabantur. Noſtratia annum aut biennum durant.

Quæ

Quæ foris, & peregrinis regionibus adferuntur, conſiderare oportet, an notis reſpondeāt à Medicis præſcriptis, & in eorum cognitione exerceri, vt ex ſapore & odore dignoſci poſsint. Deligantur ea quæ corpulenta ſunt, nec rugoſa & carioſa.

De Fructibus.

FRVCTVS noſtrates his locis colliguntur, vbi eorum plantæ ſunt præſtantiſsimæ. Colliguntur autem dum maturuerunt, antè quàm marceſcant. Deliguntur pleniores & bene habiti. Siccantur ſole aut clibano pro humiditatis illis innatæ ratione. Reponuntur armarijs, pyxidibus, & locis quo neque humor vllus, neque fumus, neq; puluis pertingere poſſit: & mutantur quotannis.

Fructus peregrini ex ipſorum notis particularibus dignoſcuntur, eorumq́ue præſtantia illis ipſis cognoſcitur ſignis, quibus etiam ſemina.

De Radicibus.

RADICES colligendæ ſunt locis aptis, optimæ quæque, & præſtantiſsimæ, fructu iam deperdito, & incipiente foliorum defluuio, cælo ſereno; pluuiæ nanque illas imbecilliores reddunt, & humore crudo implent. Siccantur autem cùm integræ, ſcilicet quæ ſunt exiguæ, vt valerianæ radix, aſari, ruſci, aſparagi, & ſimilium: tum in taleolas ſectæ: tum etiam matrice exempta, & ſolo cortice reſeruato: deinde filo traiectæ paruis interuallis ne ſeſe contingant, ſuſpenduntur loco ſuprà recitato, donec probè ſiccatæ fuerint, veluti radices gentianæ, brioniæ, carlinæ, centaurij maioris, & ſimilium, quæ planè eodem modo quo herbæ reponuntur. Exiguæ radices in annū ſeruantur: Maiores in biennium. Mutandæ autem ſunt intra id tempus, ſi anni temperies ſicca fuerit: ſin autem admodum humida fuerit, eo præſertim tempore quo radices colligendæ ſunt, ſatius eſt illis vti quæ præcedente anno collectæ ſint, modo ea qua dictum

eſt

eſt ratione ſeruatæ ſint.

Exoticæ Radices peculiaribus notis dignoſcuntur: Deligendæ autem ſunt quæ ſaporem, odorem, & colorem ſui generis perfectiſsimum habeant, quæq; ſint bene habitæ, non carioſæ, non marcidæ, nec rugoſæ ſi fieri poſsit.

De Succis.

SVCCI ex plantis eliciuntur, virentium & tenerorum foliorum cauliumúe tritura, & manuum aut torcularis expreſsione. Horum ſtatim ab expreſsione vſus eſt, adſeruanturq; aut liquidi, aut ſiccati, aut cum ſaccharo mixti in modū Syrupi. Qui liquidi ſeruandi ſunt, igne aut inſolatione à craſsioribus partibus repurgātur, & in phialam inijciūtur ſuperfuſo aliquantulo oleo. Qui ſicci reponendi ſunt, aut ſole, aut igne probè ſiccantur: tum demum vaſculis vitratis, aut pyxidibus reponuntur. Liquidi mutantur quotannis. Sicci verò & apud nos expreſsi, aut ſingulis annis, aut ad ſummum biennio.

Externi generatim dignoſcuntur, aut odoris, ſaporis, coloris præſtantia, aut ſi non puluerulenti ſint, alioúe modo corrupti.

De Liquoribus, Lachrymis, & Gummis.

LIQVORES, Lachrymæ, & Gummi quæ Medicis in vſu ſunt, magna ex parte peregrina ſunt. Noſtra verò ex ſtirpibus adultioribus defluunt, aut ex ſucco prægnantibus exprimuntur.

Iiſdem verò notis Peregrina cognoſcūtur, quibus ſuprà dictum eſt: eorum autem præſtantia, aliorum quorundam collatione: quorū ſigillatim mentionem faciemus, cum de ſimplicibus medicamentis agemus.

De Corticibus.

CORTICES quibus Medici vtuntur, partim è fructibus, partim ex radicibus, partim ex ramis ſumūtur, loco, tēpore, & modo conuenienti, vt dictum eſt.

Peregrini prædictis rationibus dignoſcuntur: de quibus

quibus etiã ſigillatim agemus: de his præſertim, quæ in frequentiore vſu ſunt.

De Lignis.

LIGNA magna ex parte peregrina ſunt. Noſtra autem ex arboribus adultis decerpenda ſunt.

Peregrina particulatim tractabimus.

De Medicamentis ex Animalibus deſumptis.

EX Animalibus integris, aut eorum partibus medicamenta ſumuntur: Præferenda autem ea ſunt, quæ ex Animalibus mediæ ætatis, bene pinguibus, beneq; habito corpore deſumuntur. Quo modo autem præparentur & conſeruentur, poſtea dicemus.

De ijs quæ ex terra & aquis ſumuntur, item de Metallicis, & Terris.

HOC Medicamentorum genus plerunque peregrinum eſt. Itaque de ſingulis quæ in maiore vſu ſunt agemus, & alijs quibuſdã, quæ, cùm aliunde adferantur, difficilè cognoſcuntur. Horum autem deſcriptionem dabimus ex antiquis Scriptoribus, easque notas enumerabimus, quibus & eorum præſtantia, & adulterium, ſi quæ ſunt adulterina, facilè deprӕhendatur, eaque omnia ordine alphabetico trademus.

ACACIA planta eſt ſpinoſa, è cuius fructu ſuccus acacia exprimitur, quem, quoniam nõ habemus, non neceſſe eſt deſcribere, ſed in ſuccedaneis, quid eius loco ſumendum ſit, dicemus. Manat & gummi ex ea ſpina, quod videtur gummi tragacanthæ vulgare, vt in eius hiſtoria dicemus.

Acorus teſte Dioſcoride folia fert iridis, radices non diſsimiles, ſummo ceſpite ſparſas, complicatas, geniculis interceptas, in obliquum actas, albicantes, guſtu acres, &, vt Gal. ait, modicè amaras & odoratas. Optima eſt denſa, candida, carie non exeſa, plena, odorata. Cæterùm omnes has ferè notas habet ea radix, quæ hodie vocatur calamus aromaticus. Hanc ob cauſam, hæc ſemper pro acoro ſumenda eſt, ſiue

ea

ea quæ in Succedaneorum catalogo recenſebitur.

Adeps ex animali florente legitur. Eodem autem tempore non colligitur omnium animalium adeps, quòd eodem tempore non pingueſcant. Reponitur autem bene lotus, & ab omni cruento alijsque immunditijs repurgat⁹, loco ſicco ad Aquilones ſpectante: ſiue figulinis vaſculis vitratis, folijs lauri ſiccis cõuolutus, & obturatus: aut exemptis membranis diligentiſsimè tritus, & duplici vaſe liquatus, fictili vitrato bene obturato locis ſiccis. Recens etiam & ſine ſale vſurpatur: & quando adipem abſolutè reperies, ſumes adipem recentem illius anni, & ſine ſale conditum, quia poſt illud tempus mutat qualitatem, alijsque præditus eſt facultatibus.

Aes qua ratione vrendum ſit, vt eius in Medicina vſus eſſe poſsit, poſtea dicemus. Aes verò vſtum illud eſt, quod Italorum vulgo Ferretto di ſpagna vocatur. Probatur rubrum, & quod tritum colore cinnabarim imitatur.

Aloë ſuccus plantæ eiuſdem nominis notiſsima eſt. Eius apud Dioſc. duo ſunt genera: quoddam arenoſum, quod ſedimentũ puriſsimæ eſſe videtur: alterum iocinoris modo concretum, ex quo nomen vulgare ſumpſit aloës hepaticæ. Eligi debet pinguis, ſyncera, calculorum & arenularum expers, nitida, rufi coloris, friabilis, iocinoris modo coacta, facilè liqueſcẽs, & eximiæ amaritudinis. Improbatur nigra, difficilè liqueſcens. Adulteratur gummi, quod depræhenditur guſtu: nam non valde amara eſt, neque tam validi odoris, neque digitis friata ad minima vſque fruſta reſoluitur. Nonnulli, teſte Dioſc. illã ſucco acaciæ adulterant, quod maleficium guſtu depræhẽditur, minus enim amara eſt, magisque adſtringit.

Aluminis apud veteres tria fuerunt genera, Liquidum, Rotundum, Sciſsile, quo dũtaxat vtimur ſub nomine vulgari aluminis plumæ. Cæterũ quotieſcunq;

in

in medicamenti alicuius compoſitione alumen ſimpliciter reperitur, ſciſsile intelligendum eſt, veluti omnium efficaciſsimum. Optimum eſt candidiſsimũ, valde adſtringens, graui odore, non lapidoſum, non compactum, ſed plerunque in capillamenta quædam caneſcentia dehiſcens. Ex Aegypto adfertur. Adulteratur lapide Amiantho, ſed guſtu dignoſcitur, quòd non adſtringat.

Præter iam recitata aluminũ genera, factitia tria reperiuntur: nempe alumem fæcum, quod fit ex vini fæcibus Sole ſiccatis donec albeſcant, deinde vſtis. Alumen catinum, quod fit è cineribus herbæ Kali, ſeu ſodæ vulgaris: Alumen ſcaiolæ, idque fit è lapide ſpeculari, quem vulgò ſpeculum aſini vocant.

E factitijs etiam ſunt alumen rocæ, & zucharinum: illud ex lapide candido, interdum ſub rubro ſæpius præparato: hoc verò ex alumine rocæ, ſaccharo, & oui albumine paratur. Aluminis liquidi & rotundi loco, ſatis commodè vſurpare poſſumus alumen rocæ.

Ambra citrina, Latinis ſuccinum, Græcis ἤλεκτρον, & Arabibus carabe dicta, ex quorundam ſententia naſcitur è liquido bitumine, quod è littoribus defluẽs in mare, concreſcit eo quo videmus modo. Reperitur in Germaniæ maritimis, procellis in littus prouoluta. Eius ſunt aliquot genera: Fulua, quæ pellucida eſt, candida, & ſimilibus alijs coloribus prædita: Candida verò, quòd leuior ſit, & odoratior, optima cẽſetur. Probatur ea quæ attritu calefacta, illico paleas, aliaſque res minutas ad ſe trahat, & quæ accenſa bituminis odorem reddit.

Ambra odorifera quæ ex Arabia fœlice, & India defertur; Iuxta quorundam ſententiam etiam ex bitumine naſcitur, eodem quo ambra fulua Germanica modo. Hæc plerunque in ventre piſcium reperitur, qui ea copioſiùs vorata moriuntur. Laudatur quæ circa eorum renes reperitur: improbatur quæ in ſtomacho

macho eſt: ea verò optima habetur, quæ nondum à piſcibus deuorata eſt, tametſi in ipſis piſcibus non aſpernenda interdum reperiatur. Optima eſt quæ ex India aduecta fulueſcit: poſt eam, quæ ex Arabia fœlici adfertur. Eſt etiam Factitia ex moſcho, zibetho, ligno aloës, ſtyrace & ladano: Odor auem rerum ex quibus fit, & color qui plerunque niger eſt, illam prodit: præterea aquæ impoſita citiùs molleſcit quàm natiua.

Ammi hodie à nonnullis oſtenditur, folijs fœniculo tenuioribus, caule gracili, vmbella in qua candidi flores & ſemen minutiſsimum, cumino ſimilis, non per omnia reſpondens veterum deſcriptioni. Pleriq; exiſtimant, ſemen quoddam ex Hiſpanijs ſub amomi nomine allatum, verum eſſe ammi, aut ſaltem eius loco vſurpari poſſe. Vide ſuccedanea.

Amomi planta hodie Italiæ incognita eſt, ideóque plura non attinet hîc dicere: Eius ſuccedaneum reperies ad libri calcem.

Ariſtolochiæ tria genera Dioſcoridi recenſentur, Rotunda, Longa, Clematitis. Rotunda hodie notiſsima, radicem habet rotundam rapi modo, reliquasq; notas quas illi tribuit Dioſcorides: Longa autem paucis adhuc cognita, quandoquidem ea quæ hodie pro Longa exhibetur vulgo, quibuſdam eſt tertia ſpecies Clematitis dicta, quòd nō habeat radices quaternos digitos longas, velut Longa Dioſcoridis, ſed longiſsimas & graciles, quales Clematitidis deſcribuntur, tametſi (ſi Dioſcoridis textus non eſt mendoſus, vt aliqui exiſtimant) folia ſemperuiui minoris non illi conueniant. Itaque quænam ſit ariſtolochia Longa & Clematitis, dubitatur. Cùm verò Rotunda ſit omnium efficaciſsima, eius vſus eſſe debet, quotieſcunq; ariſtolochiæ nomen abſolutè reperietur: imò etiam Longæ & Clematitidis loco vſurpari poteſt. Vulgaris Longa omnium imbecillima eſt.

Arm o-

Armoniacum, Græcis & Latinis Ammoniacũ di-ctum, lachryma eſt ferulæ Dioſcoridi. Notiſsimũ eſt. Probatur bene coloratum, minutis glebis thuris ſimilitudine, denſum, ſyncerum, caſtoreum odore imitans, guſtu amarum, ligni, calculorum, ſimiliumque ſordium expers.

Aſa fœtida, plantæ peregrinæ lachryma aut ſuccus eſt. Sunt qui exiſtiment ſilphij ſuccum eſſe in Media aut Syria naſcentis, qui, teſte Dioſc. grati odoris non erat, vt armeniacus aut lybicus, quem nonnulli aſam odoratam eſſe arbitrantur & belzoin officinarum: ſed non conuenit. Nam Dioſcorides hunc vt præſtantiſsimum & efficaciſsimum laudat: Arabes verò aſam fœtidam calidiorem & potentiorem aſſerunt: Multò minus belzoin eſſe poteſt, quod tanta excalfaciendi vi præditum non eſt, quantam illi tribuit Galenus, dum laſerpitij loco euphorbium non recens ſubſtituit. Aſpalathum, quòd nondum habeamus, & in officinis prorſus ſit incognitũ, non deſcribemus: ſed ei⁹ ſuccedaneũ inter cætera recẽſebimus.

Auripigmentum metallica res eſt, aurum colore imitans. Eius apud Dioſc. duo genera. Vnum è multis ſquamis, vt altera alteri impoſita videatur, conſtat: Id, ſi purum fuerit, nec vlli materiæ permiſtum, optimum exiſtimatur. Alterum colore ſandarachæ, hoc eſt rubrum, glandis effigie. Deligendum ergo aureo colore micans, è tenuibus ſquamis compactum, quod facilè finditur, & lapillis aut terræ permiſtum non eſt.

Ex auripigmento natiuo fit Artificiale, arſenicum videlicet & Reagal vulgo vocatum.

BALSAMO cùm careamus, nulla eius hîc fiet mentio, ſed eius ſuccedaneũ inter reliqua ponemus.

Bdellium lachryma eſt ſarracenicæ arboris, inquit Dioſcorides. Probatur guſtu amarum, tranſlucidum taurini glutinis modo, intus pingue, &, ſi tactu ſubi-

gitur, molleſcens, ligni ac ſordis expers, odore vnguis marini incenſum. Facultate, ſecundum, eſt veluti ſiccum, reſinoſum, liueſcens. Tertiũ eſt Indicum, ſordidum, nigrum, grandioribus glebis in offas conuolutum. Adulteratur gummi: ſed id minus eſt amarum, & ſuffitu minus odoratum. Ex eo quod in vſu eſt, deligendũ quod maximè accedit ad prædicti notas, donec præſtantius aliquod aduehatur.

Bedeguar, Dioſcoridi ſpina alba dicta, ex quorundam ſententia ea eſt planta ſpinoſa, quæ folia habet longa, anguſta, maculis albis diſtincta, capitula ſpinoſa, & in his flores purpuraſcentes: Naſcitur in Hetruria locis montanis præſertim. Huic cõueniunt omnes ferè notæ à Dioſc. traditæ, ideo veræ loco vſurpari poteſt, aut illi ſubſtitui, vt infrà dicemus.

Been album ſecundum quoſdam polemonium eſt Dioſcoridis, ea inquam planta quæ radice conſtat cubitali, candida, caule geniculato, betonicæ altili vocatæ non diſsimili, ex quo dependent veſiculæ ſeu folliculi quidam rotundi & candidi, folia polygono mari ſimilia, maiora tamen & longiora, ex interuallis bina. Notiſsima eſt per Hetruriam.

Been rubrum, aliqui Dioſcoridis tripoliũ eſſe volunt: Pro hac oſtendunt plantam quandam in maritimis naſcentem, folijs glaſti, magis virentibus longioribusq́ue; caule per ſumma diuiſo, floſculisq́ue purpureis onuſto; radice rubra, palmũ longa & contorta. Been rubrum cũ hac deſcriptione magis quadrat, quàm album cum polemonia: donec tamẽ certius de ea iudiciũ ſtatuatur, eius ſuccedaneo vtemur.

Belzoin gummi eſt arboris peregrinę (non autem laſerpitium) agallochi forſitan, vt quorundã eſt opinio, quod vulgare eſt lignum aloës. Optimũ cenſetur tranſlucens, albis præditum glebulis, thuris æmulum, rubeſcens, odore grato, & quando vritur xylo aloës odorem referens: hac enim ratione ab adul-
terino

terino dignoſcitur.

Berberis à Dioſcoride ſpina acuta vocatur. Cæterùm tametſi incertum eſt, an frutex ille ſit ſpinoſus qui Italis Creſpino dicitur, an verò ea planta quæ paſſim in omnibus ferè ſepibus naſcitur, folijs inciſis, meſpilo aroniæ ſimilibus, an alia quædam planta: vulgari tamē berberi vti poſſum⁹, donec aliud ſtatuatur.

Bitumen, Græcis ἄσφαλτος dictum, eſt veluti terræ adeps qui facillimè ignem concipit. duûm eſt generum. Quod liquidum eſt vt oleum, vulgo petroleum vocatur, omnibus notum. Aliud denſum picis modo quod, antequam concreſcat, liquidum aquis ſupernatare ſolet: Huius generis eſt quod in Iudæa naſcens peculiariter aſphaltos dicitur: videtur autem id eſſe quod vulgo ſic hodie vocatur. Eius verò probatio eſt vt purpuræ modo ſplendeat, ſitque ponderoſum, & validum odorem vibret. Nigrum autem & ſordidum vitioſum eſt. Adulteratur pice, quod color niger indicat, & picis odor.

Quod Babylone natū naphta vocatur, teſte Dioſc. bituminis candidi aut etiam nigri colatura eſt, Vis ei ignium rapax. Huius loco, quia ad nos nō adfertur, noſtro petroleo vti poſſumus: quemadmodum etiam aſphalti loco, ſi dubium eſſet an aſphaltus ſit bitumē Iudaicum. Si quis autem aſphalti modo denſare volet, vaſe æneo aut ferreo illud coquet, &, quia facilè flammam concipit; flamma, panno lineo madente in vas vbi percoquitur demiſſo, extinguetur. Hac ratione concretum petroleum pro naphtha & aſphalto vſurpari poteſt.

Quod in Apollonia Epirotarum naſcitur, quòd miſtam bitumini picem redoleat, piſſaſphaltos appellatur, & mumia Arabum eſſe creditur, tametſi mumiā etiam appellent, Confectionem quandam qua cadauera condiuntur. Factitia etiam eſt piſſaſphaltos, admixta pice bitumini.

Aliud porrò bituminis genus eſt lapidis modo induratum,veluti terra pharmacitis, aut ampelitis: Deinde quod inſtar fragmentorum ligni terra effoſſum, ſed atrum vt carbo,multis locis reperitur:Multi præterea alij lapides & gummi bituminis naturam habent,quæ omnia breuitatis cauſa prætereo.

Bolus Armenia hodie duorũ eſt generũ:alterũ Orĩetale:alterũ Noſtras,quod multis locis naſcitur vbi ſunt ferri fodinę. vtraq; rubricę ſpecies eſt. Exiſtimãt nonnulli bolũ Orientalem ex Armenia aduehi,eſſeq́; illam ipſam quam Galenus colore pallido, Arabes luteo,croco ſimilem deſcribunt. Cæterùm cùm illa ſit rubra,vt dictum eſt,non abs re dubitatur, an ſit bolus Armenia. Alij putãt veram eſſe terram Lemniam, quæ olim Capræ imagine ſignabatur,aut eam potius quæ Galeno rubrica Lemnia vocatur,à terra Lemnia differens,Nam rubrica manus inficit, terra verò minimè. Vt vt ſit, exiſtimamus alterã alterius loco vſurpari poſſe,vt poſtea dicemus. Noſtrate vti poſſumus in medicamentis foris applicandis.

Borax notum eſt officinis. Fit è lapide tranſlucido borace dicto Nitri foſsilis genere. Huius vſus eſt in medicamentis & Aurifabrorum officinis, quemadmodum apud veteres chryſocollæ. Hæc metallica erat & factitia.Metallica in aurarijs,argentarijs,& ærarijs fodinis reperiebatur: præſtantiſsima erat æraria,praſini coloris: ſed & hodie adhuc in ærarijs fodinis reperitur,arenæ per ſe ſimilis, aut materiæ metallicæ permiſta, ſed quæ abraſa arenæ ſimilitudinem gerit. Factitia, ex pueri vrina in æreo mortario trita piſtillo æreo fiebat: Hæc Medicis in vſu fuit. Sunt etiamnum aliæ factitiæ,quę Pictoribus tantũ ſeruiũt.

CALAMVS aromaticus Dioſcoridis hodie incognitus eſt.vulgaris autẽ calamus aromaticus,Acorum fortè eſt,vt iam diximus. De eo nunc plura non dicemus: ſed Lectorem ad ſuccedanea remittemus.

Cam-

Camphora, Arabibus Indicæ arboris lachryma eſt: Alijs verò, Indici bituminis genus. Ferunt Indos id bitumen quod ex camphora natiua ſtillat excoquere, quodque tenuiſsimarum eſt partium albeſcere, & ſublatum operculo adhærere, caphuramque in hunc modum conformari, vt illã videmus. Hinc fit vt Mercatores caphuræ bitumen plerunque admiſceant: ſed non ita candicat vt caphura illa modo iam dicto excocta. Eligatur alba, pellucida, ſyncera, valde odorata, quæ pani calido impoſita madeſcit. Semine lini, aut milij, aut pſyllij, aut pipere ſepulta conſeruatur, ne aëri expoſita euaneſcat.

Cantharides officinis notæ ſunt. Probãtur in frumento inuentæ, verſicolores, & quæ luteas in alis tranſuerſas lineas habent, corpore oblongo. Cribro, aut fictili vaſe conduntur, cuius os raro linteo ſubligatum deorſum vertitur, vt excepto habitu aceti quàm acerrimi feruentis æſtu examinentur. Poſtea ſiccantur, & pyxidibus ligneis, aut fictilibus vitratis reponuntur. Biennium durant.

Cardamomum Græcorum, quod eſt cordumeni Arabum, tametſi multi dubitent quidnam ſit. Illud tamen quod officinæ cardamomũ maius appellant, cardamomi Græcorum loco vſurpari poſſe videtur, quia aromaticam quandam acrimoniam, nec non amaritudinem, quamuis obſcuram, habet. Aliud verò eſt cardamomum Arabum à Græcorũ cardamomo: Eiusque duo genera conſtituunt, maius, & minus, vtrumque nobis incognitum: niſi maius illud intelligatur, quod melligetam aut granum Paradiſi nuncupant. Semẽ eſt anguloſum, acre, linguam vellicãs, non admodum aromaticum. Cardamomum minus officinarum nullo modo conuenit cum cardamomo minori Arabum, neque ad aliquod cardamomi genus referri poteſt: ſed eſt melanthij genus, vt in eius hiſtoria dicemus.

Caſsia Græcorũ,vt ex Dioſcoride & Galeno colligere licet, cinnamomum ſiue canella officinarum videtur,qua pro caſsia commodè vti poſſumus.Præfertur longa, odorata, guſtu cum acrimonia grato, rufeſcens:quod genus facilè reperiri poteſt.

Caſsia Arabum, eſt caſsia illa nigra ſolutiua vulgo notiſsima.Eligatur Alexandrina,amplis ſiliquis; grauis,quæ cõcuſſa,clauſis intus granis nõ ſtrepat, cortice læui & purpuraſcente.

In Græcorum medicamentis, ſi caſsia præſcribatur, eius loco canella optima ſumenda eſt: tum etiam in Arabum ſcriptis, vbi Græcorum remedia recenſent: & iјs etiam medicamentis quæ corpus non ſoluunt. Sin autem remedia ab Arabibus deſcripta ſint:aut in eum vſum præſcripta, vt corpus purgent, caſsia nigra vti debemus.

Caſtorium,caſtoris teſtes ſunt.Eligi debẽt, inquit Dioſc. qui ex vno principio committuntur, liquore intus veluti ceroſo, odore graui & virus redolente, guſtu acri, mordente, friabili, ac multis naturalibus tunicis circundato. Adulteratur gummi ammoniaco cum caſtoris ſanguine & caſtorio ſubacto, deinde in veſiculam coniecto & ſiccato. Depræhenditur fraus ex notis prædictis,tum etiã quòd factitij teſtes, ipſis natiuis,qui plerunque ſunt exigui,ampliores ſunt.

Centaurium duorum eſt generum, maius, & minus. Maius Dioſcoridi folia iuglandis habet,oblonga,viridi braſsicarum colore,in ambitu ſerrata, caulem ceu rumicis, binûm aut ternûm cubitorũ, multis ab radice adnatis,in quibus capita ceu papaueris, in rotunditate oblonga, flos ex cæruleo candicans, cyanio flori perquam ſimilis,verùm maior: ſemen in floribus cõpactum, quale in floribus in pappos euaneſcentibus eſſe ſolet: radix craſſa, grauis, ſeſquicubitum longa,rubeſcens,ſucco prægnans rubeſcente, & cum adſtrictione quadã & dulcedine,acri. Huius

radix

radix ſub rhapontici nomine officinis notiſsima eſt. Centaurium minus paſsim naſcitur, notiſsimumq́ue eſt ex Dioſcoridis præſcriptione. Maioris radix in vſu eſt: Minoris coma cum floribus & ſemine.

Cera notiſsima eſt. Optima eſt ſubfulua, modicè pinguis, pura, odorata, mellis habitum quadantenus referens. Secundum locum obtinet candicans, & ſuapte natura pinguis. Laudatur Pontica & Cretica.

Chalcitis metallica eſt, in venis ærarijs nata, mediæ inter miſy & ſory facultatis, quibus caremus. De his vide ſuccidanea.

Cinnamomum Dioſcoridis hodie incognitũ plerique exiſtimant, tametſi non deſint qui in canellæ odoratioris capſulis facilè reperiri poſſe putent, quia Dioſc. cinnamomi quædam genera caſsiæ ſimilia facit. Vtcunque ſit, canella optima, & cimamomi, & caſsiæ loco vſurpari poteſt, donec melius aliquod medicamentum quod ſubſtitui poſsit reperiatur.

Coagulum Leporis omnium præſtantiſsimum eſt: deinde Hœdi & Hinnuli. Excipitur ante quàm ipſa animalia aliud quidquam præter lac maternum deguſtauerint. Vituli marini coagulum excipitur prius quàm cum matre ad prædam natare poſsit. Fumo aut ſole exſiccata, & loco ſicco ſeruantur. Annum vnum aut biennum durant.

Coſtus Dioſcoridi radix eſt candida, leuis, eximia odoris ſuauitate, qualem Arabicũ eſſe dicit: hic præcellit. Secundum locũ ſibi vendiçat Indicus, craſſus, leuis, vt ferula niger. Tertius eſt ſyriacus, grauis, colore buxeus, & odore nares feriens. Optimus eſt recens, albus, abundè plenus, denſus, aridus, à teredinibus non eroſus, ſine graueolentia, guſtu acuto ac linguam vellicans, &, vt ait Galenus, aliquantulum amaro. Omnes ferè optimi coſti notæ in angelicæ radice, quæ ſatis nota eſt, reperiũtur. Hinc fit vt nonnulli putent, eam pro vero coſto ſubſtitui poſſe: vt

verum fateamur, præſtat eam coſti loco vſurpare, quàm coſtum vulgare officinarum, quod à iam dictis notis alieniſsimum eſt.

Croci cùm multus ſit vſus, & ſanis, & in Medicina, cura adhibenda eſt vt optimus, recens, & ſyncerus deligatur. Nam varijs modis adulteratur: ſed maleficium ex colore, odore, & pondere depræhenditur: ſiquidem adulteratus, nec vetus eam coloris gratiam habet, ſed obſcurior eſt, neque odoratus vt recens, ſed ſitum redolet, & ponderoſus eſt. Cæterùm qui luteos quoſdam flores admiſtos habet, odore & guſtu dignoſcitur, tum etiam quod eam coloris venuſtatem in tingendo nō habet, quam ſyncerus. Qui ſapa ſublitus eſt, ſapore dulci, & colore obſcuro eſt. Cui permixta lithargyros, iuſto ponderoſior eſt.

Cubebæ, quarum in officinis vſus, ſunt fructus peregrinus, ſatis notus. Non ſunt autem cubebæ Arabum, neque earum loco in Arabum præſcriptionibus vſurpari debent, ſed canella: arbitratur enim Serapio cubebas eſſe carpeſium; ex Galeni ſententia eas facultates cubebis tribuēs, quas Galenus carpeſio tribuit, corticem cinnamomo ſimilem eſſe aſſerens: imò cinnamomi loco carpeſium maiore quantitate ſubſtitui voluit.

Curcuma Arabum, radix eſt officinis nota. Creditur cyperi genus eſſe, quod Dioſcorides in India naſci aſſerit.

Cuſcuta, Græcis & Recentioribus caſſutha dicta, planta eſt capillaris, ſine folijs, reliquas plantas inuoluens & enecans. Nota eſt. Deligenda eſt quæ in geniſta reperitur.

Cynogloſſum vulgare omnibus notum, tametſi Dioſcoridis cynogloſſum non ſit, à Plinio tamen inter cynogloſsi genera deſcriptum putatur, & eaſdem cum illo habere facultates: quā ob cauſam eius vſus eſſe poteſt.

Cyperus

Cyperus iuncus eſt triangularis, interdum quadrangularis, cubitalis aut maior, folia fert porracea, longiora & anguſtiora, in ſummo caude minuta, ſemen complectentia: radices, quarum in Medicina vſus, inter ſe cohærentes, oleis oblongis ſimiles, vel rotundæ, nigræ, ſuaui odore, & amaro guſtu. Naſcitur in paluſtribus. Duorum generum in Italia reperitur. Vnum exiguũ, cui radices oleæ ſimiles: hoc præfertur. Alterum maius, cuius radices inæquales & contortæ. Optima ea eſt radix, inquit Dioſcorides, quæ grauior eſt, denſa, plena, dura, aſpera, odorata cũ quadã acrimonia, qualis eſt cilicia, ſyriaca, & quæ à Cycladibus inſulis petitur. Sic & hodie quæ ex Oriẽte aduehitur, melior eſt noſtrate.

Aliud Cyperi genus in India naſci Dioſc. dicit, gingiberis effigie: quod croci modo tingit. Illud veterum curcuma eſſe non abs re plerique exiſtimant.

DICTAMNVM, herba eſt in ſola Creta naſcens, pulegio ſimilis, ſed maioribus folijs, cana lanugine pubeſcentibus. Florem nullum aut ſemen profert, inquit Dioſc. Theophraſtus verò cæterique Autores & caulem illi tribuunt, & florem, & ſemen, vt manifeſtè videre licet in dictámno quod hodie ex Creta adfertur, cui quidẽ conueniunt reliquæ Dioſc. notæ, ſed florem & ſemen profert.

Alia eſt planta, dictamnum album vulgo vocata, aliâs fraxinella, planè à dictamno Cretenſi diuerſa, quæ quamuis valde efficax ſit, dictamno Cretenſi ſubſtitui tamen non poteſt: hoc enim veteres intelligunt, cùm abſolutè dictamnum ſcribunt.

Diphryges, æris veluti ſubſidens fæx eſt, quæ ære cocto, & poſt aquæ frigidæ offuſionem ſublato, ima fornacum parte cohærens reperitur. Eſt etiamnum aliud genus factitium, quod ex pyrite æroſo fit lapide multos dies vt calx cremato, donec rubeſcat vt rubrica. Deinde ſublatum reponitur.

Fiebat

Fiebat etiã è luti cuiuſdam cyprij genere, hodie inuſitatum. Priora verò duo genera facilè reperiri poſſunt. Adulteratur ochra exuſta, quæ vt diphryges rubeſcit: Depræhenditur autem quod ſubitò linguam non exſiccat, nec ſaporem æris reddit vt natiuum diphryges.

Dragagantum, Græcis tragacantha, lachryma eſt, quæ è radice plantæ cuiuſdam ſpinoſæ eiuſdem nominis manans, concreuit. Præſtat pellucens, læuis, gracilis, ſyncera & ſubdulcis. Videtur ea eſſe, quæ vulgo gummi Arabicum vocatur: Contra verò ea quæ tragacantha dicitur, gummi acaciæ eſſe, vt ſuprà in acacia retulimus. Itaque cùm vires habeant ſimiles, altera alterius loco ſumi poteſt.

ELATERIVM ſuccus eſt è fructu cucumeris ſylueſtris, plantæ notiſsimæ. Optimum eſt leue, non ponderoſum, cum candore leniter humectum, guſtu amariſsimum, quodque lucernarum luminibus obiectum facilè flagrat. Improbatur ſcabrũ, turbidum, porracei coloris, medium erui & cineris colorem referens, & graue. Sunt qui amylum immiſceant, vt candorem ipſum imitentur, ponderoſiusque ſit. Abimatu ad decennium vtile eſt inquit Dioſc. tametſi aliter alij ſentiant. Eius extrahendi ratio ſuo loco dicetur.

Ellebori duo ſunt genera, album nimirum & nigrum. Album radicibus nititur multis, tenuibus, candidis, ab oblongo & exiguo capite exeuntibus ceparum modo: folia fert plantaginis; caulem palmo altiorem, cauum, tunicis conuolutum: ſatis notum eſt. Deligendæ ſunt radices ſummis montibus collectæ tempore apto, candidæ, mediocriter extentæ, friabiles, carnoſæ, nullum in frãgendo puluerem emittentes, quæque ſint medulla tenui, guſtu feruente, nec tamen id vehementer, quæ enim nimium acres ſunt, ſtrangulant.

Elleborum nigrum folia habet viridia, platani ſimilia,

milia,minora,folijs ſphondylij proxima,pluribus diuiſuris inciſa,nigriora,& craſsiora, ſubaſpera: caulis aſper, flores ex candido purpurei, cotoneis ſimiles, racematim cohærentes: in quibus eſt ſemen cnico ſimile: radicibus nigris,tenuibus, elleboro albo ſimilibus,quarum duntaxat eſt vſus. Eligi debet bene nigrum,corpulentum,plenũ,in quo tenuis ſit medulla, acre guſtu ferueńsque.

Elleborum nigrum quo hodie plerunq; vtuntur,non eſt iam deſcriptum : verum tamen etiam in Hetruria reperitur cum prædictis notis,tametſi rarò. Itaq; cura adhibenda eſt,vt id ſumatur, quamuis nõ multum errent,qui in veri loco vtuntur vulgari.

Epithymum planta eſt caſſuthæ ſimilis, aut caſſutha in thymo naſcens, & illud cincinnis ſuis ambiẽs. Cùm autem hoc tempore thymi copiam non habeamus,caremus etiam epithymo. Illud enim quod vulgo in vſu eſt epithymbra eſt, quòd in thymbra, quæ thymi nomine vſurpatur,creſcat. Hac autem hodie veri epithymi loco vti poſſumus: nam eaſdem facultates habet, aliquantò tamen debiliores. Quod ex Creta adfertur,epithymbra etiã videtur,epithymum enim non eſt,tametſi noſtrate melior.

Eſula,Græcis tithymalus dicitur. Sed veluti eſulæ nomine tres plantæ intelliguntur, maior videlicet, minor, & rotunda : Sic etiã tithymali genera ſeptem à Dioſcoride alijsque pluribus deſcribuntur. Eſula maiore pytinſa Dioſcoridis intelligenda eſt,& alſcebram maius meſuæ: Eſula minore, tithymalus cypariſsias & alſcebram minus : Eſula rotunda, peplos: quæ omnes plantæ hodie ſunt cognitæ. Cognoſcendæ ſunt etiam reliquæ tithymali ſpecies, præſertim characias, qui reliquis præferebatur, & Græcis erat in vſu. Hodie cognitus eſt, quemadmodũ & reliqua tithymalorum genera, his præſertim qui in his inueſtigandis diligentiam aliquam adhibet : Nam omnes

in

in Hetruria reperiuntur. Eorum deſcriptio, cùm ſit admodum prolixa, ex Dioſcoride petenda eſt.

Eupatorium Græcorum, vulgaris agrimonia eſt. Eupatorium Auicennæ id eſſe creditur quod vulgo eupatorium appellant, folijs cannabis ſylueſtris, & ſecundum aquas creſcit: vulgo nota eſt. Eupatorium Meſuæ herba eſt amara, quibuſdam camphorata, alijs herba giulia dicta, quæ Dioſcoridis ageratum putatur. Cùm itaque omnes hæ plantæ eupatorium appellentur, animaduertendum eſt ne indifferenter altera pro altera vſurpetur: Sed in Græcis compoſitionibus, agrimoniæ vſus eſt: In Auicenneis, Auicennæ: In Meſuæis, Meſuæ eupatorium vſurpandum eſt: ſinguli enim ſuo eupatorio peculiares ac diuerſas facultates tribuunt.

Euphorbium eſt ſuccus ex arbore ferulæ ſimili emanans. Duo eius genera Dioſcoridi. Vnum ſarcocollæ modo emicans, in granula concretum orobi magnitudine. Alterum veluti fæx quædam eſt, imbecillius. Adulteratur ſarcocollæ & gummi Arabici miſtione, ſed difficile experimentum, quod leui guſtu os accenſum diu detineat. Eligendum tranſlucens. Recenti, quia viribus eſt violentis, non vtendum, ſed annotino. Annis quatuor integrũ ſeruari poteſt cum milio, fabis, aut lentibus ne elangueſcat: quinto enim vel ſexto anno vis eius exoluitur. Cæterùm cùm plerunque contingat vt ad nos magis aduehatur vetuſtate corruptum, quàm recens; maior cura in eo adhibenda eſt.

Fel omne ſumendũ eſt ab animalibus mediæ ætatis, quæ neque famem, neque ſitim paſſa, neque exercitio nimium defatigata ſint, neque iræ nimiũ indulſerint. Detractum à iecore, & præligatis filo vijs quibus & admittitur & egreditur bilis, in feruentem aquam demittitur aliquãto tempore, mox exemptum ſiccatur loco ſicco, & reconditur. Siccatur etiam camino

mino ſuſpenſum nec aquæ feruenti demiſſum: Interdum eo vtimur recenti iam primùm ab animali exempto, veluti felle gallorum, perdicum, piſcium, & ſimilium quæ facilè comparari poſſunt, nec magno conſtant.

Flos æris grana quædam minutiſsima ſunt panici effigie, rubentia æris modo, quæ exiliunt ac erũpunt, quando æs per cola funditur, & aqua pura & frigidiſsima affunditur. Facilè reperiri poteſt in ærarijs officinis. Optimus eſt friabilis, in attritu fulueſcẽs, milij effigie, breuis, ponderoſus, modicè ſplendens, guſtu adſtringens, qui delimatam æris ſcobem nõ recepit, qua ſæpe adulteratur: Sed id facilè depræhenditur dentium alliſione, ſcobs enim non atteritur, ſed dilatatur.

GALANGA radix eſt nodulis ſcatens, intus & foris rubra, per internodia cõtorta, odorata, & acerrimi ſaporis, odore & figura quadam cyperi, vnde quibuſdam cyperus Babylonicus putatur. Eligenda grauis, rubra, ſapore acerrimo linguam vellicans. Adulteratur cyperi vulgaris radicibus repurgatis, & in aceto cum pipere maceratis: ſed abraſo cortice fucus depræhenditur, nam pars interior neque galãgæ acrimoniam neque ſaporem habet.

Galbanum ferulæ liquor eſt, vulgo notũ eſt. Laudatur multis granulis conſtans, merum, thuris effigiem præbens, pingue, non lignoſum, retinens nonnihil ſeminis è ſua ferula, graue odore, neque humidum neq; aridum. Adulteratur reſina, fabæ farina, & ammoniaco: quod ex notis iã dictis depræhenditur.

Gummi elemi quibuſdam cedri lachryma eſt, aut oleæ Aethiopicæ, aut arboris ignotæ. Laudatur quæ reſinoſa eſt, ſtillis exilibus conſtãs, leuis, valido odore & ſapore.

HARMEL Græcis harmala dicta, rutæ genus eſt Dioſcoridi deſcriptum in ruta Galatica. Quibuſdam

dam dictamnum album vulgare creditur: non conuenit tamen illi ſemen ſubrufum & triãgulare. Hanc ob cauſam eius ſuccedaneo vtimur, donec præſtantius aliud reperiatur.

Hermodactylus radix eſt officinis nota. Variæ ſunt opiniones cuiuſnam plantæ radix ſit à veteribus deſcriptæ. Veriſimilior tamen eorum eſt ſententia, qui colchici radicem eſſe exiſtimant, tametſi Dioſc. venenoſam eſſe affirmet: nam medicamentorum purgantiũ magna pars ferè eſt eiuſmodi. Hermodactylum vnum idemq; eſſe & Græcis & Arabibus credimus: itaque huius noſtræ radicis facultatibus freti, ea vtemur hermodactyli veterũ loco. Probatur candidus, corpulentus, plenus, grauis, non carioſus.

Hypociſtis plantula eſt ciſti radicibus adnaſcens, ſine folijs, floris punici ſimilitudine antequam explicetur, multis capitulis aut tuberculis conſtans rotundis, ſemini plantæ ab Italis Grano d'India vocatæ ſimilibus, candidis, herbaceis, aut rufis. Præfertur ſubrufa. Ex hypociſtide liquor exprimitur præparaturq; vt poſtea dicemus. Animaduertendum eſt ne hypociſtidis loco, colligatur planta aliquantulum ei ſimilis, quæ vulgo cauda leonis vocatur, eſt enim orobanche Dioſcoridis.

Hyſſopum Græcorum herba eſt folijs & floribus origano ſimilibus, hodie incognitum. Hyſſopũ meſuæ domeſticum, eſt Hyſſopum vulgare quod in hortis colitur. Syluestre naſcitur in mõtibus, thymumq; vulgare eſt. Vtrumq; thymbræ ſpecies eſt, & hyſſopo ſubſtitui poteſt, præſertim ſylueſtre, thymũ dictum.

IECVR Lupi, cæterorumque animalium, ſumi debet ex ipſis animalibus nondum adultis, vinoque odorato lauari: deinde vaſi impoſitum, furnoq; probè ſiccatum, ſed non exuſtum, vaſis vitratis reponitur abſinthio ſicco inuolutum, ne putreſcat.

LACCA Arabum, Græcis cancamum dictum hodie

hodie nõ reperitur: ideoq; eius ſuccedaneo vtendũ.

Ladanum liquor eſt,ex alterius ciſthi ledon appellati folijs exſudans. Hodie & liquor & planta nota ſunt. Optimum,minimeque adulteratum,odoratum eſſe debet,ſubuiride,facilè molleſcens, pingue,reſinoſum, arenularum aliarumq; ſordium expers,quale in Cypro gignitur.

Lapis armenius, Italis verdazuro, quaſi viride cæruleum dicas,tametſi ex Armenia nõ aduehatur: multi tamen exiſtimant,eo qui ex Germania adfertur,vti nos poſſe, eo delecto qui eſt læuis colore, cæruleo, perquam æquabilis, & friabilis. Sed cùm nec eius magna ſit copia,eius loco lapidẽ lazuli vſurpabim⁹.

Lapis lazuli,quem Græci cyaneum, Itali azuro oltramarino, hoc eſt, cæruleum tranſmarinum appellant, lapis eſt cærulei coloris,qui in ærarijs,argentarijs & aurarijs venis reperitur.Optimus eſt qui in aurarijs oritur, ſaturi coloris, maculas quaſdam aureas ſtellarum modo radiantes habens, qualis is eſſe ſolet è quo fit color ille cæruleus. Huius vſus eſſe debet, magna cura adhibita,ne factitij pro eo ſumantur;hos enim Pictoribus relinquere debemus, natiuoq; vti, poſtquam bene lotus erit vt dicemus.

Leuiſtico,quod Dioſcorides liguſticum, Galenus libiſticum nominat, quamuis pleræque plantæ multis partibus ſint ſimiles:nulla tamẽ adhuc reperta eſt, quæ eius omnibus notis reſpondeat.Itaque eius ſuccedaneum cum reliquis vide.

Lignum aloës, Dioſcoridi agallochum nominatum, lignum eſt quod ex India atque Arabia deportatur,varium,maculatum, odoratum, guſtu adſtringens cum quodam amarore; cortex eius corio ſimilis, colore aliquantulum verſicolore. Arabibus præfertur id quod ex India adfertur, craſſum, nigrum, varium,ſolidũ,graue,ſine candore, & quod ignibus impoſitum diu perdurat.

Lignum guaiacum, quod nonnullis lignum ſanctum dicitur, ebeni genus eſſe creditur. Optimũ eſt graue, denſum, interiore parte nigra, exteriore & illam ambiente ſubflaua: cortice læui, firmiter hærente, ligni ſcobe, ſi manibus comprimatur, ſimul cohærente, (quod pinguedinis eius indiciũ eſt) quod denique in ſua decoctione multum odorem, ſaporem atque colorem relinquit: magnitudo autem aut paruitas fragmentorum non ſunt tam magni momenti, quàm notæ ſuprà dictæ: ſed in hac parte mediocritas laudari poteſt. Aduertendum eſt cortice nos vti ſeorſim, quem plerunque fraxini cortice adulterari contingit, aut ſimilibus, qui tamen dignoſcuntur ſapore & odore quodam peculiari.

Lithargyros lapis eſt è plumbo factus; plumbum enim dum ſecunda fornace excoquitur aut ſolum, aut metallo aliquo permiſtũ, partim in lithargyron, partim in plumbaginem vertitur. Duo ſunt eius genera: vnum colore aureo: alterum argenteo: quò fit vt illud lithargyros auri, hoc lithargyros argenti nominetur. Inde verò hæc differentia nata eſt, quòd alterum altero maiorem vim ignis paſſum ſit. Lithargyrium auri præfertur: hodie notiſsimum.

MACIS nucis moſchatæ exterior cortex eſt, in quo nux latet, quemadmodum auellana in ſuo putamine. Præfertur craſſum, plenum, odoratum, ſapore ſubacri; hodie notum.

Manna ros eſt, qui ex aëre in arbores, herbas, lapides, terramque decidens, denſatur & cogitur in grana minuta. Præfertur calabra, præſertim quæ ex folijs arborum collecta eſt, quæ ex hoc dignoſcitur, quòd grano conſtet exiguo, tranſlucente, graui, ſimilis maſtiches granulis, candidis, & guſtu dulcibus & ſuauibus. Secundum locum obtinet quę è ramis colligitur; Tertium quæ in lapidibus. Hæ craſsiores ſunt, & minus ſyncerę, colore turbido. Syriaca ſi ſit perfectè gra-

granulata maſtichæque aſsimilis, valde etiam probatur, dulcis, & recens. Cùm iam exoleuit; floccorum bombacis refert imaginem, leuis concauaque eſt. Adulteratur amyli farina, rebusque ſimilibus: ſed maleficium facilè depræhenditur. Inſuper & ea quæ ſimul concreuit, ſaccharo & ſena adulterata eſſe ſolet, ac croco, carthamiúe flore tincta: verùm guſtu deprænditur.

Manna thuris, ſunt minutiſsimæ thuris micæ. Laudatur alba, pura, micarumq; frequentia prædita. Sunt qui cribrata pini reſina, ac polline, aut cortice thuris contuſi adulterant: ſed hæc igne deprænduntur, nam adulterata non æqualiter flagrat incenſa, nec aërium vaporem, ſed fuliginoſum & impurum expuit, variumque odorem habet; Hodie minutiſsimæ thuris micæ ſunt in vſu.

Marum, maiorana nobilior eſſe creditur, videturq; ea mari loco ſubſtitui debere.

Maſtiche lentiſcina reſina eſt. Præfertur reſplendeſcens nitedulæ modo, & candore Hetruricæ ceræ ſimilis, craſſa, retorrida, odorata, friabilis; viridis inferior eſt. Adulteratur thuris reſinæque pineæ nucis miſtura.

Medulla ex florenti animali ſumenda eſt, vt in adipe demonſtrauimus. Colligitur æſtatis exitu, hyemis initio. Duo eius genera; Medulla ex oſsibus: altera è ſpina, quæ multum inter ſe differunt, ideoque ſingulæ ſeorſim reponendæ. Præparatur reponiturq; eodem quo in adipe diximus modo.

Mel optimum flauum, odore & ſapore iucundo, acre, purum, ſyncerum, totum pellucens, tam ſibi cohærens vt continuitatē ſuam quaſi linea longiſsima non interciſum ſeruet, ſi digito attollitur.

Melilotis flore eſt luteo, colore vicino croco, odorato. Laudatiſsima folijs cōſtat minutiſsimis pinguiſſimisque: ſemen in ſiliquis teretibus profert rarum,

rotundum,ſinapi minus,colore luteo.Ex his manifeſtum eſt,eam quæ hodie in vſu eſt, non eſſe verã melilotum,non enim eſt odorata: niſi ex eius genere ſit, quæ in Cãpania naſcitur,odore infirmo, vt ait Dioſc. Diligẽtia itaq; adhibenda eſt vt vera habeatur. Hanc nonnulli trifolium illud eſſe arbitrantur, quod locis mõtoſis,ſterili ſolo, ad meridiem ſpectante naſcitur: folijs ciceri ſimilibus,minoribus,maculis quibuſdam ſtellarum modo diſtinctis:flore luteo fuluеſcente:ſemen exili ſiliqua,in cuſpidem deſinente,flauum continetur. Tota planta grauiſsimo eſt odore, theriacæ proximo, quam Hetruriæ incolæ herba bachaia appellant,quod ea infantium vermes enecant.

Meum anetho caule & folijs ſimile,ſed eo craſsius, binûm plerunque cubitorum altitudine attollitur; ſparſis in obliquum profundumque radicibus, longis,odoratis,tenuibus,linguam excalfacientibus. In altiſsimis Hetruriæ montibus hodie planta quædam reperitur planè cum hac deſcriptione conueniens. Quã ob cauſam diligẽtes Pharmacopolæ hanc noſſe diſcant, vulgarique meo vti deſinant. Quid verò,ſi reperiri non poſsit, ſubſtitui debeat, in ſuccedaneis dicemus.

Mezereon,aut Dioſcoridis thymelęa,quo nomine aliqui etiam chamælęam complectuntur: vtraq; nota eſt.Prior folijs & frutice lini aut linariæ ſimilitudinem refert:Chamęlea folia oleę habet,verũ minora.

Moſchus excrementum eſt cuiuſdam animalis,certo anni tẽpore circa eius vmbilicum veluti in tumorem quendam cõcretum. Melior eſt Orientalis,ſubflauus. Adulteratur quemadmodum & cætera quæ rara ſunt: ſed ex colore,odore & ſapore dignoſcitur, præterea etiam & pondere; nam multa admiſcentur in eo adulterando. Verùm cui ſyncerum & verum experientia cognitum eſt, ex his notis facilè fucum depræhendet.

Mumia Arabum, compoſitio quædam eſt ex aloë, myrrha, croco, & balſamo, qua cadauera condiebāt, deinde aliquantulo poſt tempore ex ſepulchris eximebant, cum ſanie quæ ex cadauere exudauerat, ſeruabantq́ue in vſum medicum. Sed quia pice & bitumine corpora condiri etiam ſolebant: eaſdem illi facultates tribuunt quas Dioſ. piſſaſphalto, idemq́; efficere dicunt quod permixtum pici bitumen. Quod ſi verum eſt, cùm neque veram mumiam, neq; Dioſc. piſſaſphaltum habeamus, arte conflari poteſt ex pice bitumini permiſta, vt in bitumine dictum eſt.

Muſcus arborum, quem vulgo vſneam appellant, lanugo ſicca eſt, in quercu, abiete, larice, multisq́ue alijs arboribus naſcēs. Optimus eſt candidus & odoratus. Laudatur cedrinus, proximè populneus: Reliquis verò præfertur odoratus, albus, vt iam diximus.

Myrobalani Arabum differunt à myrobalano, hoc eſt nuce vnguentaria Dioſcoridis, quam vulgus Ben appellat. Quinque generibus diſtinguūtur, videlicet in Citrinas ſeu flauas, Chebulas, Indas, Emblicas & bellericas.

Citrinæ laudantur multùm flauæ, in viride inclinantes, denſæ, graues, gummoſæ, cortice craſſo os partium complectente.

Cepulæ ſiue chebulæ quo maiores eo meliores, nigræ, in rubrum inclinantes, graues, quæ aquę impoſitæ ſtatim merguntur, cortice craſſo.

Indæ optimæ ſunt nigrę, ſubſtantia ſolida ſi frangantur, denſæ, magnæ, graues ſine oſsibus.

Emblicæ ſint magnæ, graues, denſæ, carne multa, oſſibus exiguis.

Bellericæ verò denſę, magnę, graues, & cortice craſſo. Quę his notis carent, aut vetuſtate exoticæ ſunt, aut aliud incommodum paſſæ ſunt.

Myrrha Arabicæ arboris lachryma eſt. Huic tametſi non quadrent omnes notæ à Dioſcoride de-

ſcriptæ, cùm tamen multis ſit prædita bonis qualitatibus, exiſtimant nonnulli pro vera poſſe vſurpari. Eligenda eſt pinguis, reſinoſa, rubeſcens, denſa, & ſplendens. Sunt qui affirment ſtoracem liquidã, qua officinæ vtuntur, ſtillatitium myrrhæ liquorem eſſe, qui ſtacte veteribus dicebatur. Quod nullo modo conuenit· nam ſtorax liquida factitium potiùs quiddam videtur, cuius nullus vſus pro myrrhę ſtacte eſſe debet. Quod verò de opocalpaſo ſcribit Galenus, quòd myrrhæ ſimilitudinem gerat, ſed venenoſum & exitiale ſit, multosq; ſua ætate mortuos eſſe, quòd in medicamẽtis opocalpaſum pro myrrha aſſumpſiſſent, nemini noſtra ætate cõtigiſſe audiuimus. Quod magnum argumentum eſt, nos vera myrrha carere.

NIGELLA, quam Dioſcorides gith aut melanthium nominat, herbula eſt exilibus ſurculis fruticans, binos dodrantes aut amplius altis; folijs minutis, aliquantulum ad ſenecionis ſimilitudinem accedentibus, ſed multò tenuioribus: capitulo in cacumine tenui, paruo, ceu papaueris, oblongo, intercurſantibus intus membranis, quibus ſemen includitur nigrum, acre, odoratum. Qua hodie vtuntur nigella, non eſt verum melanthium, ſed cumini forte ſylueſtris apud Dioſcoridem genus. Verùm hodie reperitur, ſed non paſsim, itaque adhibenda eſt diligentia. Melanthij genus eſt, quod vulgo cardamomum minus creditur, nigellaque citrina vocatur, quæ, præter colorem, omnino cũ melanthio ſuprà deſcripto conuenit: eius itaque vſus eſſe poterit veri melanthij loco, potius quàm vulgari nigella, quæ non eſt odorata, vt vera eſſe debet.

Nitri apud veteres multæ erant differentiæ, natiuum, factitium, & aphronitrũ, quod veluti nitri flos erat. Hodie vnicum habemus nitri genus, nempè boracem non excoctam, quæ quibuſdam nitrum foſsile eſt, eoque nitri loco vti poſſumus.

Salnitri

Salnitri, tametſi proximè ad nitri naturam accedat, nullus tamen eius in medicina vſus eſſe poteſt, præſertim in his quę intrò aſſumuntur. Nitri in ſuccedaneis etiam fiet mentio.

Nux moſchata, arboris Indicæ fructus eſt, perſicę arbori (vt ſcribũt) ſimilis. In hac enim nux moſchata naſcitur maci ſuo inuoluta, veluti auellana membrana illa ſua exteriori. Macis inuolucro tegitur, quemadmodum & in alijs nucibus, putamẽ durum, quod in ſe nucem moſchatam continet qua vtimur. Eligenda eſt recens, non exeſa, grauis, ſucci plena, oleoſa, odorata.

OE S Y P V S eſt ſuccidarum lanarum pinguitudo, quam vulgo hyſſopum humidã appellant: Cuius parandi ratio hæc eſt.

Succidę lanæ molles è collo feminibusq́ue aqua feruente macerantur, in eaq́ue lauantur donec ſordibus bene expreſsis, purgatæ extrahũtur, deinde aqua magno impetu lignea rude agitatur, aut vaſculo excepta in aliam ex alto infunditur, quò largiùs ſordida ſpuma ſupernatet, qua diſſoluta, pingue ſupernatans aquę, excipitur: rurſus aqua agitatur, pingueq́ue excipitur: & hoc deinceps tantiſper fieri debet, dum conſumpta pinguitudine, nihil prorſus ſpumæ extet. Collecta pinguitudo agitatur & aqua pura reſpergitur, perpetuoq́ue ad Solem manibus miſcetur, donec candida ſpectetur, & aquam non amplius inficiat, tum in fictili vaſe denſo & bene cocto reconditur, & in cella locoúe frigido reponitur.

Opopanax ſuccus eſt effluens ex inciſa radice aut caule panacis quod Dioſcoridi heracleum dicitur. Hodie cognita eſt planta & ipſe ſuccus, qui maximè probatur, quàm amariſsimus; internè albus, aut ſubfuluus, foris colore croci, læuis, pinguis, friabilis, tener, ſtatim in aqua eliqueſcens, graui odore: Niger improbatur ac mollis. Adulteratur ammoniaco, aut

cera: ſed ſynceri experimenum eſt, ſi digitis in aqua friatus reſoluatur & lacteſcat.

Opiū ſuccus eſt è capitibus papaueris nigri. Duûm eſt generum, vnum ex capitibus & folijs expreſſum, Græcis meconium vocatur; illud ignauius. Alterum ex capitibus paululum inciſis exſtillans, verum eſt opium. Optimum eſt denſum, graue, amarum, odoratu ſoporiferum, quod facilè aqua diſſoluitur, læue, candidum, neque aſperum, neque grumoſum; quod colatum non ſtatim vt cera coëat, quod in Sole diffundatur, & admotum lucernis, clara luceat flamma, & extinctum odoris vim cõſeruet. Adulteratur glaucio, hoc eſt nemitha, aut gummi, aut ſylueſtris lactucæ ſucco. Verùm glaucio fucatum in dilutione croci colorem reddit; lactucaceo ſucco deprauatum, inodorum eſt, & aſperius: gummi vitiatum, infirmū eſt, & ſplendeſcit. Nec deſunt qui adipem admiſceant.

Origanum Dioſcoridi trium eſt generum, heracleoticum, onitis, & ſylueſtre: Quorum poſtremum copioſè in noſtris maritimis naſcitur: Reliqua duo cognita quidem ſunt, ſed rara. Tragoriganum eſt incognitum. Quod hodie in vſu eſt, ad nullum origani genus referri poteſt: primū quod in maritimis naſcatur, vbi duntaxat cætera creſcunt origana; deinde quod guſtatum, linguam non vellicat vt reliqua origana. Adulterinum igitur erit origanū, quia reliquis notis ita cum origano conuenit, vt guſtu ſolo ferè diſtingui poſsit. Dāda eſt opera vt legitimū habeatur, atque hoc reiiciendum. Verùm hodie ex Creta copioſè Venetias adfertur.

Orobus, ſiue eruum, illud eſt quod in Hetruria moco vocatur, vulgoque, cùm ſit notiſsimum, ſeritur. Hoc itaque vtendum, non alio. Aliud ſupradicto ſimile Creta adfertur orobus illic nominatum, hoc nonnulli verū eſſe exiſtimant: folijs eſt phaſioli vulgaris, ſed anguſtioribus, & minoribus: ſemine ſubflauo:

flauo : quod cũ difficilè reperiatur ſupradicto vtendum eſt.

PAPAVERIS apud Dioſcoridem ſex ſunt genera. Primum ſylueſtre rhęas dictum omnibus notum. Alterum, candidum, capitibus oblongis, candidis, ſemine albo: hoc etiam notum. Tertiũ & Quartum, nigrum, è quibus colligitur opium : ſemine nigro ; vtrumque Dioſcoride papauer ſylueſtre etiam dicitur: & illud notum eſt. Quintum papauer corniculatum, ſic dictum, quod caput non proferat, ſed ſiliquam oblongam & rotundam in corniculi modum, florem luteum, vulgo notum. Sextum papauer ſpumeum vocatur, hoc incognitum eſt. Quoties papaueris ſimpliciter & ſine adiectione mentio fit, ſemper domeſticum, hoc eſt album intelligendum eſt.

Piper arbuſculę in India naſcẽtis fructus eſt: quæ inter initia vt ait Dioſc. prælongum fructum veluti ſiliquam, quod piper longum vocamus, profert; habet intus aliquid tenui milio ſimile, quod dehiſcentibus ſiliquis racemorum in modum prodit. Eorum grana acerba candidum piper vocantur: matura verò, piper nigrum. Qui verò in Indiam nauigarunt, piperiſque plantam viderunt, piper in planta bryoniæ ſimili naſci aſſerunt, diuerſiſque ex plantis longum & rotundum colligi. Nihil tamen intereſt. Nigrum eligi debet recens, grauiſsimum, plenum. Candidum præfertur, non rugoſum, candidum, & graue. Longum optimum, quod, dum frangitur, ſolidum intus conſpicitur & compactum, guſtu acerrimo linguamq; mordens. Adulteratur longum herba ſimili: ſed fucus depręhẽditur, ſi in aquam immittatur; nam adulterinũ liqueſcit, legitimum verò ſolidũ manet.

Pix è lignis pinguibus & reſinoſis fluit, præſertim è pino. Quibuſdam tamen in locis, propter pini penuriam, ex picea, cedro, terebintho, cæteriſque ſimilibus cõgregatur eo quem infrà dicemus modo. Pix

C 5 naualis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

naualis vulgo vocatur,eſtque duorum generum. Liquida & ſicca.Liquida duorum item eſt generũ.Vna quę primùm effluit,aquę perquam ſimilis,qua in Syria vtuntur in condiendis corporibus,& cedriam appellant,quòd ex cedro fiat : nam pinos non habent. Altera,ſecũdus eſt qui effluit liquor,qui vaſculis collectus denſatur aceto,ſicque coactus, pix brutia appellatur,in hoc ſolùm à priori differens, quòd concreta ſit, colore fuſco, & pinguior : hac picabantur vtres vinarij . Pix arida,fit è liquida iterũ cocta,huius ſunt itidem duo genera: vnum quod viſci modo lenteſcit ; alterum ſiccum & friabile. Præter hæc, aliud quoddam genus reperitur , quod piſſelæon appellãt: exprimitur ex lana qua excepti ſunt vapores elati ſurſum quamdiu pix coquitur . Præfertur quod ex pice brutia fit . Aliud picis genus zopiſſam vocabant ex deraſa nauibus reſina & cera conflatam . Omnes hæ picis differentiæ reperiũtur.Liquida præfertur ſplendens,læuis,ſyncera . Sicca probatur pura,pinguis,odorata,ſubrufa,& reſinoſa.Improbatur aduſta,fumũ redolens,& acida. Probatur verò ea, cuius fragmẽta ſplendent, quæ dentibus preſſa lenteſcit, & guſtu eſt ſuaui.

Pix græca pini alteriuſúe arboris reſina eſt , aqua cocta,donec perdito natiuo odore , friabilis & arida reddatur:hęc colophonia vocatur,quòd è Colophone aduceheretur. Per colophoniam igitur ſemper pix græca intelligenda eſt , non quòd reſina incocta non etiam colophonia vocetur , ſed quòd in Medico vſu huiuſmodi reſinis non vtimur niſi coctis,aut raro admodum,præſertim cùm liquidæ ſunt.

Propolis in alueariorum foribus & rimis , ceroſæ naturæ reperitur,eligi debet flaua,odorata, ſtyracem referens, mollis,& maſtiches more ductilis.

Pulmones animaliũ recentes & ſicci vſurpantur. Sumantur ex animalibns pinguibus & robuſtis. Siccantur

cantur exempta aſpera arteria in vaſe figulino impoſita clibano,& refrigerati,folijsque abſinthij ſicci inuoluti reponuntur,vt de iecore dictum eſt.

RESINA liquor eſt ex pinu,picea,abiete,alijsq; ſimilibus ſponte profluens. Eius duplex eſt differentia.Vna liquida,veluti terebinthina ex terebintho,larigna è larice, quæ vulgaris Italiæ eſt terebinthina: nam eius quæ è terebintho profluit copiam non habemus.Altera arida,vt quæ ex pinu exit & è fructu arborum reſiniferarum, thuri ſimilis. Ex liquidis terebinthina reſinas omnes antecedit, candida, perlucida,vitreo colore & in cæruleum vergente, odorata, terebinthum olens. In huius locum ſucceſsit, vt dictum eſt,larigna,quæ mellis colore & odore eſſe debet. Ex aridarum genere eligi debet odoratiſsima, tranſlucens, non retorrida, neque nimium humida, friabilis,& quendam ceræ colorem præbens.Improbatur rubra,& dealbata.Ex his reſinę è picea & abiete cęteras antecedunt,& thus odore imitantur.Omnes hæ reſinæ vno nomine pix græca vocantur, de qua ſuperiùs.

Rha barbarum radix eſt inæqualiter craſſa, nō admodum longa,rheo pontico perquam ſimilis colore & ſubſtantia. Eius tres ſunt differentiæ.Vnum Indicum,omnium prętantiſsimum: Alterum Barbarum, ſecundum locum obtinens: Tertium Turcicum omnium ignauiſsimum.Laudatur ſubnigrum in rubrum inclinans,recens,graue pro raritate ſua,confractum, ex rufo & glauco alternans, & croci modo tingens. Adulteratur, ſi aliquot diebus in aqua maceratur, vt facultas eximatur: fucus verò deprænditur ſi in cōfracto ea varietas,quæ ſuprà dicta eſt, non conſpicitur, nec croci modo tingit, ſed leuius eſt, & magis adſtringit.

Rha ponticum, quod vulgo rheuponticum dicitur,radix eſt nigra,centaurio magno ſimilis, ſed minor

nor & rufior, ſine odore, fungoſa, leuis; quæ trita, manducataque colorem reddit pallidum, ad crocum inclinantem, à rhabarbaro duntaxat (vt nonnulli putant) ſolo loco in quo naſcitur differens: nam rheum barbarum ex regione Meridionali aduehitur, rheum verò ponticum ex Septentrionali. Adhæc rheum ponticum radice conſtat longa & tenui: rhabarbarũ autem craſſa & breui. Aliquorũ præterea opinio eſt, eam plantam quæ hodie in hortis ſeritur rumici ſimilis, quæque rhabarbarum exiſtimata eſt, verum eſſe rhaponticum; ſeſeq; expertos aſſerunt eaſdem quas rhabarbarum habere facultates, ſi detur dupla quantitate. Adfertur ad nos verum rhaponticum, non eſt autem ea quam ſuprà centauriũ maius eſſe diximus. Optimum habetur quod teredines non ſenſit, quod guſtatu cum remiſſa adſtrictione lenteſcat. Adulteratur decoctione: dignoſcitur verò quod partes externæ non ſint denſæ & compactæ, verùm rara ſubſtantia, & guſtu nihil, aut minimùm adſtringens.

Ribes rubeſcentibus fruticat ramis, ad viride inclinantibus, teneris, ſapore cum aliquantula aciditate dulci: folijs rotundis, latis & magnis: acinis guſtu acidis. Ribes quo hodie vtuntur, tametſi omnes iã dictæ notę illi quadrare non videantur; id tamen verò ſubſtitui poſſe exiſtimamus.

Rubrica, ſinopis Dioſcoridi dicta, quòd in Sinope vrbe venderetur, terra rubra eſt. Hodie ad nos ex pleriſque alijs locis aduehitur ſub boli armeni nomine, cuius ſuprà in bolo meminimus. Maximè probatur ex Dioſcoridis ſententia, grauis, denſa, ad iecinoris imaginem vergens, calculorum expers, cõcolor, cùm diſſoluitur admodum fuſilis. Bolum autem intelligimus noſtratem.

Rubrica, qua hodie fabri vtuntur, aliud rubricæ genus eſt, fitque ex ochra cocta.

SAL, natiuus eſt & factitius. Natiuus vel in terra,

ra,vel ad mare ex aqua marina,vel in lacubus, vel in fluminibus,aut in fontibus. Natiui (quãuis variæ ſint differentiæ,diuerſiſque locis reperiantur) in vſum tamen medicum tres recepti ſunt, videlicet ſal ammoniacus,vulgo armeniacus dictus, ſal gemmæ, & ſal Indus. Ex his verò ſalem gemmę duntaxat habemus, candidum, tranſlucentem cryſtalli modo, eſtque ſal foſsilis. Sal armeniacus hodie dictus, nõ eſt natiuus, ſed factitius.

Ex eorũ genere qui ſponte in aquis generantur multæ ſunt differentiæ. Qui in mari naſcitur, & in ſcopulis reperitur ex ſpuma maris conflatus,ſpuma ſalis appellatur. Qui in Iudeæ lacu gignitur, in quo & aſphaltus naſcitur, ſodomeus vocatur, ab Arabibus ſal naphthicus, amarus eſt. Hoc caremus,quemadmodum & reliquis natiuis in lacubus aut fluminibus repertis.

Factitiorum varia ſunt genera, ſecundum materiam ex qua fiunt differentia. Nam alij ex aquis ſalſis generantur,veluti marinus, & qui ex fontibus fiunt, vt ſal cõmunis: Alij ex cineribus,aliaúe materia,quemadmodum ſal alcali, qui fit ex herba cali, ex qua etiã ſoda appellata conficitur; & vulgaris armeniacus qui in Alexandria fit in balneis.

Cæterùm hodie pro efficaciſsimo in medicina ſale gemmæ vtimur,qui foſsilis eſt vt diximus, & in Germania alijſque locis eruitur. Præfertur deinde marinus. omnium infirmiſsimus eſt vulgaris.

Saccharum candi tametſi Auicenna interdum ſalem Indum appellet, inter ſales tamen referendus non videtur.

Is præterea quẽ Dioſcorides ſalis florem, aut rectius maris florem nominat,ſali multum diſsimilis eſt, nihil enim aliud eſt quàm pinguedo quædam crocei coloris mari,Nylo & alijs lacubus innatãs:eo tamen hodie etiam caremus.

Qui propriè flos ſalis dicitur, in ſalis fodinis reperitur, & in ipſis etiam ſalignis velut pollen quidã craſſiorem ſalem ambiẽs: tenuiorum multo eſt partium quàm ſal, colore candidiſsimo, interdum cinereo, qui inferior eſt.

Sandaracha lapis eſt in metallicis venis, plerunq; cum auripigmento naſcens, rufa eſt, cinnabaris colore, nonnihil ad luteum vergens, quæ cùm vritur, fumum exhalat pallidum, ſulphuriſque virus redolet, tametſi non conſumatur. Facilè hodie legitima haberi poteſt: factitia tamen etiam fieri poteſt, ſi auripigmentum coquatur, donec cinnabaris colorẽ contrahat, poteſtque veræ ſandarachę loco ſubſtitui. Sed animaduertendum eſt ſandarachæ vocabulo apud Arabes vernicem intelligi, quæ nihil aliud eſt quàm gummi iuniperi, non autem prædictum lapidem. Itaque curam adhibeant Medici ne altera alterius loco indifferenter vtantur.

Sãguis, cuius in medicina vſus, ex multis animalibus colligitur dum adhuc ætate florẽti ſunt. Sanguis Hircinus in hunc modum paratur. Matureſcente vua Hircus quadrimus, bene habit⁹, iugulatur, mediusq́; effluens ſanguis fictili bene cocto excipitur: (nam primus tenuior, poſtremus craſsior putatur) deinde coctus in aqua donec concreſcat, arundine fiſſa ſecatur obliquè & tranſuerſim, vt quod in eo aqueum eſt effluat, deinde linteo raro tectus Soli exponitur atque ita ſiccatur; curandũ interea ne pluuijs aſpergatur: deinde trit⁹ vaſe vitreo, aut fictili vitrato bene obturato reponitur. Alij Hircũ, dieb⁹ canicularibus, herbis calculum frangentibus nutriunt & vino albo odorato, donec vrina nigreſcat, deinde iugulant, & in eum quem ſuprà diximus modum pręparant. Hoc præparationis genus etſi inutile non videatur, neceſſarium tamen non eſt, cùm apud Græcos ſanguinis Hirci non eo modo nutriti, etiam vſus fuerit: ſed medicamenta

dicamenta calculum frangentia admiſcebantur.

Sanguis Draconis,qui magno in vſu eſt, cinnabaris Dioſcoridis eſſe creditur; an verò metallicũ quiddam ſit,an aliud ſimile,nihil certi ex veteribus elicere poſſumus.Plerique recentiorum gummi eſſe arbitrantur,ex arbore ſui generis ſtillans,vt terebinthina noſtra vulgaris ex larice : colore eſt intentè rubro vt ſanguis videatur,tranſparens,friabilis; vulgo ſanguinis draconis lachryma vocatur, ad eius differentiam qui pro ſanguine draconis venditur, adulterinusque eſt,eamque ob cauſam reijciendus. Sunt qui ſanguinem draconis , achilleæ ſyderitidis ſuccum defęcatum ſiccatumque eſſe putent,cuius rei nullam habemus certitudinem : poſſet tamen ſanguini draconis ſubſtitui,cùm ſit proximarum ei facultatum.

Sarcocolla lachryma eſt arboris in Perſide naſcentis,pollini thuris ſimilis, colore cãdido aut rufo, guſtu amaro:Præfertur rufa,guſtu amariſsima. Adulteratur gummi , ſed guſtu depræhenditur , adulterina enim amara non eſt.

Satyrij nomen apud Arabes omnibus orchios generibus commune eſt, eaq; diſtinguunt in teſticulos canis & teſticulos vulpis:per vulpinos intelligentes, quę propriè à Gręcis ſatyria vocantur, radice bulboſa,mali magnitudine,foris fulua,intus candida . Hodie teſticuli canini pro vulpinis , Dioſcoridisq; ſatyrio ſunt in vſu:nam vero ſatyrio carere videmur: aut ſi habeamus , nondum tamen dignoſci poſſunt inter tam multas teſticulorum differentias,cùm omnes, ſi cum deſcriptione conferantur, teſticuli canis videãtur:eis pro vero ſatyrio vti nos poſſe arbitramur. Hodie noti ſunt . Radix ſuperior , quæ maior & plenior eſt,Venerem ſtimulare:inferior verò,quæ mollior ac rugoſior eſt,inhibere creditur.

Scammonium ſtillatitius liquor eſt plantæ Græcis ſcammoniæ dictæ . Laudatur nitidum, rarum, leue,

colore

colore quàm ſimillimum taurino glutini, fungoſum, tenuibus fiſtulis. Addunt nonnulli, vt linguæ tactu albeſcat: ſed vt ait Dioſcorides huic notæ fidendum non eſt, hoc enim euenit adulterato, quod admiſto ſit tithymali lacte: hęc autem nota longè certior eſt, nempè, ſi guſtatu linguam non vrit, quemadmodum tithymalus. Adulteratur tithymali lacte & farina orobi, ſed ex notis prædictis dignoſcitur.

Scordium planta chamædry ſimilis, hodie cognita. Huius in medicina vſus eſſe debet, non allij ſylueſtris.

Scoria, Latinis recrementum appellata, differt à ſquamma. Scoria autem illud eſt quod à vena metallica dum coquitur excidit, quodque vbi metallum in catinum defluxit, ab eo detrahitur. Scoria itaque veluti metalli ſpuma eſt, tametſi etiam ab eo detrahatur in ſecunda coctura, cùm videlicet argentum ab ære alijsúe metallis ſeparatur. Prima ſcoria grauiſsima eſt, quia aliquid adhuc metalli admiſti habet, ideo ſecundò & tertiò recoquitur, donec totũ metallum exemptum ſit, & ſcoria quæ ſubſidit leuiſsima eſt, & veluti ſpongia. Eximitur ſcoria ex venis auri, argenti, æris, plumbique candidi & nigri: Ex argenti verò viui, plumbiq; tertij generis, quod cinereo colore eſt, vena non detrahitur ſcoria: nam ex his prius effluit metallũ, quã vena adeo cocta ſit vt ſcoria fieri poſsit. Omnis ſcoria nitida eſſe debet nigroque colore, ea excepta, quæ fit vbi argentum ab ære ſeparatur (hæc enim vario colore eſſe ſolet) & ſcoria plumbi nigri quæ ad luteum colorẽ accedit, & tenuis eſt, plerunq; vitri luteo colore tincti ſplendorem imitatur: tametſi etiam reperiatur plumbo nigro ſupernatans, quę colore argenteo ſpectatur.

Scoria plumbea ea optima eſt teſte Dioſcoride, quæ ad luteum colorem accedit, & vitri ſplendorem imitatur, denſa, fractu contumax, nihil plumboſum habens

bens, ceruſſam repræſentans. Diligens pharmacopœus ſcorias requirere debet ex officinis metallicis vbi metallica excoquuntur.

Serapinum,quod Grȩcis ſagapenum nuncupatur, ferulaceȩ herbȩ ſuccus eſt.Optimum eſt tranſlucēs, fuluo forinſecus colore, & intus albo, neſcio quid inter laſer & galbanum redolens,guſtu acri.His addit Meſue vt ſit ſpiſſum,& leue,odore porri,facilè in aqua reſolubile,quia quod has notas nō habet,adulteratum alijs gummis cenſetur. Præſtantius eſt quod ex Oriente aduehitur,quàm quod aliunde.

Spica Celtica exigua planta eſt folia habens oblonga in extremo lata,florē luteum:ad radices multa exigua habet adnata ſpicis minutis ſimilia: hæc cū radiculis,abiectis folijs, in vſu ſunt & valde odorata.Adulterantur impoſita herba ſimili:ſed facilis cognitio; nam folia adnataque breuiora habet, candidior eſt, neque amara, neque odorata vti vera celtica ſpica eſt. Laudatur maximè recens, iucundi odoris,radice numeroſa cohȩrens,non fragilis,& plena.

Spica nardi teſte Galeno radix eſt,non ſpica. Nota eſt.Eligitur ſyriaca dicta,cuius hæ ſunt notæ,vt ſit breui ſpica,largam gerens comam,colore flaua,odorata,aliquātulum redolens cyperum, amaro ſapore, linguam ſiccante, quȩ diu in ſua odoris gratia permaneat.Adulteratur ſtibio cum aqua aut palmeo vino ponderis cauſa inſpirato. Sed ex præcedentibus notis dignoſcitur.Madefacta etiam vendi ſolet:quod vitium ex eo depræhenditur,quòd candida ſit ſpica, ſqualida,nulloque puluere obſita.

Spodium in æris fornacibus inuenitur,vbi & pompholyx, quæ Arabum thutia eſt. Fiunt ex fauillis è metallo,dum coquitur,emicantibus, & ſpecie differunt: Nam ſpodium fit è partibus craſsioribus,& in ærariarum officinarum pauimentis reperitur, ideo multum terrȩ colligit,& ſpurcitia refercitur. Pom-

pholyx fit è tenuiſsima fauilla quæ in altum euolat, & tecto fornicique adhærens, aquarum bullis ſimilē prodit, quę per pluuias inter veris initia erumpunt, colore albo, quæ in tenuiſsimum pollinique ſimilem puluerem diſſoluuntur. Similes habent facultates, ſed pompholyx tenuiorū eſt partiū. Hodie vtrumq; cognitum & facilè ex Italia & Germania, vbi ſunt ærarię officinæ, haberi poſſet: ſed his ſubſtitui poſſunt Dioſcoridis antiſpodia, aut officinarum thutia vt in ſuccedaneis dicemus.

Spodium Auicennę fit ex arundinis radicibus, eiuſq; vſus eſt in ab Auicenna præſcriptis medicamentis, nam antiſpodij genus eſt. Illud verò quod ex boum ſimiliumque animalium cruribus confectum officinę vſurpant, pręſtat reijcere, eiuſque loco, aut Auicennæ aut Dioſcoridis aliquo antiſpodij genere vti in his præſertim quę intrò ſumenda ſunt medicamētis: in his verò quæ foris adhibentur, aut verò ſpodio, aut pompholyge, aut thutia officinarum præparata.

Squamma eſt quæ malleorum ictibus de metallis, dum adhuc candent, excutitur: verum enimuerò ex ære duntaxat & ferro decutitur ſquamma.

Aeris ſquamma eligenda eſt rufa æris modo, craſſa, aceti reſperſu æruginē contrahens, veluti ea eſt quę ex ære rufo decutitur, & olim ex ære Cyprio. Improbatur tenuis, inualida, candida aut nigra.

Stomoma ferri ſquáma eſt ex ferro decidens dum aqua extinguitur ad eius indurationem aliamúe ob cauſam. Vtraque in fabrorum officinis reperitur.

Squinanthū, ſeu ſchœnu anthos, id eſt iunci odorati flos, omnibus notum eſt. Eligendum rufum, intento colore, recens, tenue, rubentibus fragmentis, quod manibus confricatum roſę odorem emittit, igneæ mordacitatis ad linguam. Olim planta ipſa cum floribus aduehebatur, vnde ſchœnu anthos nomen

nomen ſumpſit; ideoque eligebatur floribus refertum. Hodie tamen ad nos culmi duntaxat & radix adferuntur. Itaque cura adhibenda eſt, ne alij culmi his admiſceantur, quod ex iam dictis notis depræhendi poteſt.

Storax hodie duorum eſt generum. Vnum ſtorax calamita appellatur, Græcis ſimpliciter ſtyrax. Alterum ſtorax liquidus qui myrrhæ ſtacte, quę pinguiſſima myrrhæ pars eſt, pleriſque eſſe creditur; hoc tamen falſum eſſe depręhenditur in eo qui in officinis eſt. Styrax calamita gũmi eſt arboris malo cotoneæ ſimilis. Pręfertur flauus, craſſus, reſinoſus, albicantibus grumis, quã plurimùm in ſua odoris gratia permanens, qui, dum mollitur, melleum liquorem reddit. Deterior niger, friabilis, & furfuroſus. Adulteratur ligni ipſius ſcobe, melle, cera, adipe odoribus imbuto, & quibuſdam alijs. Dignoſcitur quod adulteratus inualido ſit odore; ſyncerus verò admodum acer ſit. Qui hodie officinis in vſu eſt, aliqua ex parte Dioſcoridis deſcriptioni conuenit, eoq; vtendum arbitramur, donec melior proponatur.

TAMARINDI fructus ſunt arboris, vt volunt nonnulli, ex palmarum genere. Eius folia ad hyperici folia multùm accedere cõſpecta ſunt, etiamſi à quibuſdam ſalicis folia illi tribuãtur. Fructus, cuius hodie vſus, notus eſt. Probantur colore è nigro in ruſum langueſcente, teneri, multis villis intertexti, recentes, pingues, non retorridi, ex dulcibus acidi, & vinoſo ſapore. Adulterantur prunorum carne, ſed in his nigredo eſt obſcura, humentiores ſunt, & prunorum odor & ſapor illis ineſt. Seruantur in fictile vitratum coacti, loco frigido & ſicco.

Terra ſigillata officinarũ terra Lẽnia Dioſc. & Galei eſſe debebat: Hoc tempore duo terrarum genera Conſtantinopoli adferũtur; vna rubeſcens in placentulas quaſdam exiguas formata characteribus Turci-

cis ſignata: altera ex cineritio colore candicans,maioribus formata placentulis,characteribus itẽ ſignata Turcicis. Magno in pretio ſunt apud Turcos,maximeque commendatur aduerſus venena, neque facilè earum copia haberi poteſt. Quæ Conſtantinopolim adferuntur, non è Lemno, ſed alijs ex locis multoque longiùs diſsitis aduehuntur, itaque arbitrandum non eſt vllam ex iam dictis,terrã Lemniam eſſe.Rufa,quibuſdam è Lemno aduehi, veraque terra Lemnia eſſe creditur. Plerique bolum armeniam Orientalem veram eſſe terram Lemniam crediderunt.Sed nihil certi ſtatuere poſſumus: magis tamen illi quadrare videntur terræ Lemnię notæ, quã duabus prędictis.Reperta eſt etiã in Melita,terrę quoddam genus candidum, leue, quod à circunforaneis impoſtoribus vẽditur aduerſus venena efficax. Itaq; terræ Lemnię loco commodè, aut bolus armenia ex Oriente petita, aut prædictarum aliqua ſumi poteſt, tametſi Turcicę àduerſus viperæ morſus non admodum efficaces ſint, multoque minus quæ ex Melita adfertur. Verùm ſi bolus armenia aduerſus viperæ morſus eam haberet vim quã terrę Lemniæ tribuũt, terra Lemnia legitima ſine controuerſia eſſet,aut ſaltem illi ſecurè ſubſtitui poſſet; & facilè eſſet experimentum quemadmodũ de Turcicis terris in canibus à vipera demorſis periculum fecimus, nam quibus allium cum vino datum eſt,hi liberati ſunt; quibus verò terrę ſuprà recitatę,hi mortui ſunt,aut magna cum difficultate liberati.

Terræ ſigillatæ officinarum,cùm ne vna quidem nota Lemniæ quadret, nullus vſus eſſe poteſt,niſi in ijs duntaxat medicamentis quæ foris adhibentur: hæc enim nihil præter manifeſtarum qualitatum operationem deſiderant.

Thlaſpi,herbula eſt Dioſcoridi anguſtis folijs, digitali longitudine,in terram verſis, ſubpinguibus, in cacu-

cacumine diuiſis: duûm dodrantum cauliculo, tenui, non ſine adnaſcentibus ramis circa quos, folliculos quoſdam in latius ſe pandentes, & compreſſos inſtar lentis, ſupremaq; parte fiſſos profert in quibus continetur ſemen naſturtio ſimile: flos albicat. Hodie cognitum eſt, & quamuis in Hetruria rarum ſit, facilè tamen aliunde aduehi poteſt. Dioſcorides aliud thlaſpi genus ex Crateua deſcribit, latioribus folijs, radicibus maioribus. Hoc frequentius eſt, poſsitque prioris loco vſurpari.

Thuris cortex, qui ex arbore thurifera detrahitur, pręfertur pinguis, odoratus, recens, lęuis, craſſus, ſine membranis. Adulteratur admiſto pini aut nucis eius cortice: ſed horũ index ignis eſt: ſiquidẽ thuris cortex legitimus paulatim ardet, & cũ odoris fragrantia vaporẽ eiaculatur: adulteratus verò nequaquã incẽditur, ſed totus in fumum ſine odore conſumitur.

Thymum apud nos non creſcit. Planta quædam peregrina adfertur folijs exiguis, odoratis, flore purpuraſcente, quæ proximè ad thymũ accedit: Eius verò cũ in Hetruria copia non ſit, vtemur ſuccedaneo.

Trifolium, quod Gręci oxytriphyllon, aut aſphaltion appellant quòd bitumẽ redoleat, multas habet virgas tenues, cubitum aut amplius longas: folia magna, acuminata, terna ſingulis germinationibus exeuntia, quibus recenter enatis rutæ odor ineſt, vbi autem adoleuerunt, bitumen olent: florem edit purpureũ, ſemẽ latũ, hirſutũ, ex altera extremitate exertũ corniculi modo: radix lõga, tenuis, dura. Copiosè naſcitur circa Elbam & Petram ſantam Hetruriæ: Huius vſus eſſe debet non trifolij pratenſis, quod à vero trifolio maximè differt à Græcis deſcripto.

Turbith plantę cuiuſdam lacte manantis radix eſt. Hæc candida eſt, & alypi radix Dioſcoridis eſſe creditur; aut nigra, luteaúe, quam pityuſam pleriq; eſſe arbitrantur. Verùm, vtcunque ſit, præfertur hodie

candida, quæ ex Syria adfertur, verumque turbith album eſſe creditur, aut ei ſubſtitui poſſe. Præfertur vacuum vt arundo, gummoſum, cortice cinericio, plano, fractu facili. Adulteratur, inducto foris gummi diſſoluto: ſed fractum fraudem detegit, nam nullum gummi in fragmentis apparet.

Thutia officinarum, veterum cadmia eſt. Gignitur in fornacibus ærarijs fuligine flatu egeſta, veluti ſpodium, & põpholix, quæ vera eſt Arabum thutia. Cadmia ex craſsiore fit materia; quæ aut in ſublime fertur, altioribusque fornacum locis inſidet, vuarũ modo concreta, botryitesque appellatur; aut ferreis virgis adhæret in hunc finem fornacibus applicatis: aut parietibus fornacum inſidet, hæc placites nuncupatur. Hodie maiorem eius copiam habemus, quæ ferreis virgis adhęret, quàm aliarum duarum, tametſi plurima adulterata reperiatur ex lapide quodam trito, & cũ aqua alioúe liquore, & ſulphure in luti modum coacto virgisq; inducto deinde cocto. Dignoſcitur colore qui non eſt ita fuliginoſus neq; ad cæruleum vergens vt in vera: tum ipſis granulis aut corpuſculis, quæ veluti in vera ſimul cohærere non conſpiciuntur: denique ipſo pondere, nam vera & legitima multò grauior eſt adulterata.

Reperitur etiam aliud cadmiæ genus lapidis ſimilitudine in ærarijs fodinis teſte Galeno, tametſi Dioſc. neget; imò hodie adhuc reperitur, hisque vſui eſt, qui auricalchum conficiunt. Melior eſt botryitis, quam rarò noſtro hoc ſeculo videre contingit; aut quæ Alexandrina nuncupatur, hęc ea eſt quæ circum virgas aut rudes ferreas inſidet, & modo iam dicto ab adulterata dignoſcitur.

VALERIANA, quę ſecundum quoſdã Dioſc. phu appellatur, hodie nota eſt. Eius duo genera reperiuntur. vna domeſtica & maior in hortis ſeritur: altera ſylueſtris & minor in agris ſponte naſcitur.

Maio-

Maioris radix ſatis ad phu accedere creditur, eiusq́; loco ſubſtitui poſſe. In ſuccedaneis alia ſimplicia enumerabimus, quæ ex Galeni ſententia phu ſubſtitui poſſunt.

Vitriolum, quod Grȩcis calcanthum, Latinis atramentum ſutorium appellatur, duplex eſt: Factitium & Natiuum. Natiuum in terræ venis, aut ſaxorũ cõmiſſuris concretum reperitur: aut dum ex ijs guttatim diſtillat, partim ex ijs ſtiriarum inſtar dependet, partim in canalium fundum decidit.

Hodie aliud item genus in terræ ſuperficie concretum reperitur, quod vulgo copparoſa vocatur.

Factitium etiam duplex eſt. Vnum quod in Cypro peculiariter fiebat ex aqua quadam manante ex ſoryos, chalcitidis, & miſyos fodinis, atque in piſcinas quadratas effuſa, ibi ſponte concreſcebat. Alterum fit decocta aqua in qua maduerit terra quædam atramentoſa, vt hodie moris eſt in multis locis.

Natiuum factitio præſtantius eſt: ideo in eorum numerum copparoſa Cypria referri poteſt, cũ ſit aliorum penuria.

E factitij generibus, Cyprium excellebat: cùm verò deſit, vitriolum Romanum aut Siculum vſurpari poteſt, veluti præſtantiſsimum inter factitiorũ genera.

DE MEDICAMENTORVM SIMPLICIVM PRAEPARATIONE.

Sectio ſecunda.

De Purgatione.

MEDICAMENTA ſimplicia purgare, nihil aliud eſt, quàm quicquid medicamẽtis inutile ineſt abiicere, ſeu pars medicamentorum ſint, ſeu illis permiſtę ſordes; veluti repurgãtur aut eluuntur radices fructus, ſemina, & cætera ſimilia, quando terra aut alia re commaculata ſunt, vt in omnibus rebus fit vulgo: aut veluti gummi & reſinę, quibus plerunque aut terra admiſta eſt, aut lignum, aliæúe res inutiles: hæc enim liquantur & colantur, deinde purior pars in vſum venit medicum. Medicamenta etiam ab inutilioribus partibus repurgantur, veluti radices tum recentes, tum ſiccæ, membrana illa exteriore, quę terram contingit, cultello abraſa: repurgantur etiam exempta medulla interiore, quæ in multis inutilis eſt, veluti in cucumere agreſti, dauco, paſtinaca, apio, multiſque alijs huiuſmodi, per medium ſectis, corticeq́ue à matrice ſeparato. Siccæ macerãtur, deinde medię ſecantur, eximiturq́ue pars interior vt in recentibus.

Floribus eximuntur pediculi, culices, foliaque ſola reſeruantur, quemadmodum violæ purpureę, leuceij lutei: in quibuſdam etiam foliorum pars aliqua demitur: veluti in roſis ea pars qua calyci inhæret, vnguis appellata; vt ſi quando in compoſitionibus reperire eſt, vngue detracto, intelligendum eſt eã particulam ablatam eſſe debere.

Fructus

Fructus à cortice repurgātur exteriore, & à ſemine ſuo, & ab interiore parte illa lignoſa ſi ſint recentes, denſi, multæ carnis, & cortice tenero, veluti cydonia, mala, perſica, hæc enim cultello depellata ſecantur, interioreque parte lignoſa, qua ſemina continentur, repurgātur. Si verò fructus ſint exigui, veluti ceraſa, pruna, ſimiliaque, cribro tranſmittuntur, & ſo la pulpa, quæ vtilis eſt, ſeruatur. Illi ipſi fructus, ſi ſicci ſint, macerantur & coquuntur, deinde cribro cernuntur, veluti vuæ paſſæ, pruna, tamar Indi, dactyli, & ſimiles.

Fructus duro cortice præditi, vt amygdalæ, ſtrobili, nuces, piſtacia primùm confracto putamine eximuntur: poſtea aqua frigida aliquandiu macerantur, tum efferuent, aut ſartagine igni ſiccātur, donec corticem interiorem remittant, & manibus confricantur, aut ſacculo aſpero immiſsi agitantur, donec depellentur.

Semina cortice denſo veſtita, ſicuti fabæ, piſa, cicer, purgantur leuiter tundendo donec confringantur, deinde vanno in aërem coniecta cortices euolāt.

Alia ſunt ſemina, quorum admodum operoſa eſt decorticatio, propter corticem illis nimiū inhærentem, veluti cnici, & hordei quę modo ſuprà dicto ſiccantur, fricanturque: ſed ea excorticandi ratio ſemina corrumpit. Præſtat igitur ea ſemina macerare, hor deum præſertim, deinde in mortario magno & amplo concutere piſtillo ligneo, & leuiter agitare vt quod in fundo eſt ſupernatet, ſeparatur enim paulatim cortex: verùm ſi non amplius ſupernatet, ſed cogitur in vnum, tum vaſe aut vanno exceptum ſurſum conijcitur vt vento paleæ ſeparentur: deinde iterum atq; ſępius idem faciendum eſt, donec mundum ſit: poſtremò aut ſole, aut igni in ſartagine perſiccatum ſeruatur in ptiſanæ Gręcorum vſum. Eadem eſt cnici decorticandi ratio, ſed operoſior: itaque placuit qui-

buſdam vt ſemen cũ cortice tritũ in aquam aliumúe humorẽ immittatur, & per linteũ rarũ coletur, nam cortice relicto ſola pulpa cum humore tranſit.

Peponum & cucumerum ſemina eodem modo purgantur, præſertim ſi non ſit otium ſingula ſigillatim decorticandi: nam operoſum id eſt, & ea quę ante alia repurgata ſunt facilè inueteraſcunt & inutilia redduntur.

Adipes liquati colando à membranis repurgãtur aut cultello. Eiuſmodi ſunt purgationum differentiæ quas pharmacopœum ſcire neceſſe eſt. Sunt præterea & aliæ, ſed illæ ad eos qui metallica & chimiſticam tractant magis ſpectare videntur.

De Siccatione.

SVPRA dictum eſt qua ratione ſiccentur medicamenta ſimplicia recèns collecta, veluti herbæ, flores, fructus, radices vt melius conſeruari poſsint. Nunc ſupereſt vt de ea parte agamus, quæ de medicamentorum præparatione reliqua eſt. Plerunq; ergo neceſſe eſt vt magis ſiccentur medicaměta, quàm ſi ſimpliciter ſeruanda, eſſent, veluti ſi terenda ſunt. Siccantur autem aut Sole, aut igni, aut fumo, aut vento Septentrionali pro Medicorum arbitrio.

Siccantur amygdalæ, ſtrobili, piſtacia, alijque fructus, vt faciliùs illis inhæreat ſaccharũ quo inducuntur, ne, dum adhuc humida ſunt, ſaccharum ſuã candoris gratiam deperdat: tum etiã vt faciliùs à ſecundo illo cortice ſeu pellicula liberentur.

De Salitura.

Salitura ad medicamentorũ præparationem confert, & conditurę genus eſt. Quemadmodum carnes viperinæ tanto ſale inſperguntur quantum ciborum conditura poſtulat. Confert item vt medicamětis qualitate aliqua imbuas: veluti fit hyſtricib⁹, echinis terreſtrib⁹, multisq; alijs animalib⁹, quæ in vſum medicum vtuntur: ſed his multo ſale opus eſt, ita vt ſale ope-

operiantur & repleantur. Vtilis præterea eſt ad medicamentorum conſeruationem; veluti ſunt animalium partes, & pleraque animalia, quę multo ſale indigent. Cæterùm ſale condiuntur, vt in ſiccitate conſeruentur, & poſtquam conuenienti temporis ſpatio ſale operta fuerint, eximantur, ventoque aut fumo exponantur, donec ſiccata ſint. Aut ſale condiuntur, vt humida permaneant, & ea primùm in muriam immittuntur; aut in illa ipſa muria relinquuntur quæ ex ſale animaliumque humiditate generatur.

De Humectatione.

VTILIS eſt hæc humectatio, ad condiendos fructus, radices, peregrinoſque cortices odoratos, quos cùm recentes habere non poſsimus, maceramus donec humiditatem contraxerint.

Hordeum præterea & cnicus, vt ſuprà dictum eſt, aqua inſperguntur vt à cortice repurgentur.

Humectantur autem odorata nonnulla veluti ambra, moſchus, ſi terenda ſint, ne tenuiores & odoratæ partes exhalent.

Quædam verò herbæ veluti cotyledon, portulaca, ſemperuiuum, & ſimiles, quæ paucum ſuccum eumque glutinoſum ſortitæ ſunt, humore aliquo ſimili humectantur, terendo, & ſuperinſpergendo dictum humorem, qui cum dictarum herbarum ſucco (aliâs enim nullum remitterent) exprimendo redditur: in hanc autem rem variorum humorum eſt vſus, ſecundum Medicorum preſcriptionem.

De Nutritione

NVTRITIO humectationi ſimilis eſt, ſed in hoc differt, quòd cum pauciore humore & ſubitò fiat, quoniam id quod irrigatum eſt confeſtim Sole ſiccatur, aut igni, deinde idem quinto aut ſexto repetitur; quemadmodum ſarcocolla lacte Aſinæ aut muliebri nutritur, & ſemen cari, mirobalaniq; emblici,

tanto

tãto lacte inſperſi quantũ imbibere poſſunt, ſiccãtur.

Cuminum inſperſo aceto nutritur, & eadem ratione reſiccatur.

De Infuſione.

IN infuſionibus, quæ ad medicamentorum præparationem conferunt, humor in quo fit infuſio, conſiderandus eſt; & eius temperamentum, calidúſne ſit an frigidus; & quantitas; & tempus quo in infuſione permanebit.

Infunduntur fructus, & radices, quæ humectandę ſunt ad condituram, & conſeruas, in aquam calidam copioſam, donec humorem ad ſufficientiam inbiberint, deinde coquuntur.

Sic quæ nutrienda ſunt pauco humore calido frigidoúe maceranda ſunt, idque non diu.

Quæ coquenda ſunt, præſertim ea quæ ſicca ſunt, veluti flores, herbæ, radices, ſemina & fructus (nam faciliùs ita coquuntur) in iuſta humoris calidi frigidiúe quantitate macerantur, pro præſcriptionis ſcopo, & aliquantulo ſpatio ibi relinquuntur, donec humecta ſint: Hinc fit vt facilis eorum poſtea ſit coctio. Sic & ſemina quæ ad infundendas mucilagines infunduntur.

Roſę & violę ſub veſperam aqua bullita macerantur in proximum diem, deinde exprimuntur, & in eandem aquam aliæ recentes infunduntur, idemque ſæpius in eadem aqua fit, ad mel roſatum colatũ, aut ſyrupum roſatum ſolutiuum, ſyrupum roſatum recentem, ſyrupum violatum ſimplicem, & ſyrupum violatum ſolutiuum conficiendum.

Ammoniacum, galbanum, opopanax & ſagapenum aceto infunduntur, vt diſſolutione purgari, & commodius miſceri poſsint, vt dicemus.

Infunduntur medicamenta purgãtia in varios humores, & cum varijs alijs medicamentis, quæ malam eorum qualitatem corrigant, pro varijs Medicorum ſcopis;

ſcopis: exempli gratia, rhabarbarum plus vel minus tritum pauco vino albo inſpergitur, donec colorem emittat, deinde in liquorem à Medico præſcriptum infunditur ea quãtitate vt rhabarbarum tegatur, addita ſpica nardi, aut alia aliqua re præſcripta.

Agaricum, cæteraque medicamenta purgantia, ſola infunduntur, aut alijs quibuſdam adiuncta eodem modo.

De Diſſolutione.

DISSOLVTIO multorũ medicamentorum præparationi vtilis eſt, ſicuti & infuſionem, vt à ſordibus expurgentur ac commodè aptari poſſint.

Quod ad præparationem attinet: Medicamenta varijs humoribus, varijsque modis diſſoluuntur pro medicamẽti præſcripti ſcopo, & peculiariter lachrymæ vt galbanum, ammoniacum, opopanax, & ſimiles: nam vino aut aceto diſſoluũtur, deinde ad focum agitantur vt colatione purgari poſſint, meliusque in medicamentorum compoſitione permiſceri.

Vitriolum, miſy, chalcitis, melanteria, & alumen, primùm trita, aqua, vino, & aceto diſſoluuntur, pro rei exigentia.

Metallica quędam æſtate diſſoluuntur aceto, & ad Solem multos dies agitantur, quemadmodum ærugo, ſquamma, flos æris.

Lithargyros ſoluitur aqua, vino, oleo, & aceto, faciliùs tamen aceto, vt in oxelæo Galeni dicetur.

Conchæ, & vngues diſſoluuntur ſucco limonum.

Opium Thebaicum ſoluitur aqua, aut liquore, aut oleo, aut adipe: nam illorũ ſubſtantię nõ permiſcetur.

Solutio infuſioni proxima eſt, & ab ea ſolùm differt, quod in diſſolutione minus humoris requiritur quàm in infuſione: præterea quod in diſſolutione mouendum eſt id quod ſoluitur, in infuſione nequaquam. Denique multa medicamenta vt diſſoluantur igne egent.

De

De Liquatione.

LIQVATIO à ſolutione differt. Nam liquatio perpetuo fit aut ignis calore, aut Solis, rerumue putrefactione caleſcentium: Pleraque verò ſine calore diſſoluuntur. Præterea, quę ſoluuntur humore aliquo ſemper opus habent: quæ verò liquantur nullo egēt humore, veluti adipes, medullæ, olea concreta frigore; hæc ſiquidem exiguo igne liquantur, aut Sole, aut duplici vaſe.

Ambra carabe appellata, bitumen Iudaicum, pix, pix græca, cera, gummi, maiore calore opus habent, non tamen tanto vt frigantur.

Plumbum, argentum, aurum, æs, multo maiore calore opus habent: ferrum verò ægerrimè liquatur, tametſi raro aut nunquam cōtingat pharmacopœos huiuſmodi liquare, ſed hos duntaxat qui metallica tractant.

De Mollitione.

MOLLITIO liquationi proxima eſt: nam quæ liquantur medicamenta, eadem molleſcunt leuiter calefacta aut igne, aut ſole, & piſtillo calido ſubacta, aut manibus calidis tractata, vt fit cum emplaſtra in corio aut aluta extenduntur.

Pleraque alia, nec pinguia, nec reſinoſa, ſed ſuapte natura dura & ſicca molleſcunt affuſo humore aliquo, vt in catapotijs vſu venit & alijs medicamentis.

De Duratione:

DVRATIO fit, frigore coaleſcentibus ijs quæ liquantur, & molliuntur calore: quædam verò admiſtis, pro rei neceſsitate ſiccioribus durantur.

De Calfactione.

MEDICAMENTA igne, ſole, & rerum putridarum calore calefiunt. Quæ humida ſunt & igne calefiunt: commodiùs duplici vaſe caleſcunt, quorum alterum maius ſcilicet plenum ſit aqua tepida aut feruida, alterum verò plenum ſit medicamento

quod

quod calfaciendum eſt, ea ratione vt minus vas in aqua maioris conſtituatur: idque à recentioribus balneum mariæ, à veteribus duplex vas, aut diploma appellatur, eadem enim omnium eſt ſignificatio.

De Inſolatione, & ea quæ ſub fimo, vinaceis, & ſauſa ſeu fracibus oliuarum fit, putrefactione.

INTERDVM hæ conferũt ad calfacienda medicamenta: plerunq; ad ea componenda, & ad perfectionem reducenda: & inſtar coctionis eſt. veluti olea ſimplicia quibus flores infunduntur, roſæ, violę, chamæmelum & ſimilia aliquot diebus inſolantur: ſic etiam ad ſaccharum candi perfectè coquendum, iuleb ampullis quibuſdam inſolatur.

Scillæ ſuccus, vt dicemus, extrahitur inſolatione: quod ſi Sol non ſplendeat, igne: aut, quod commodius eſt, duplici vaſe, diu, & ex interuallis, & interdum bulliendo.

Idem etiam fiet, ſi fimo, aut vinaceis, aut ſauſa oliuarum calfactarum obruãtur: quemadmodum chalcitis, & cadmia, vt fiat pſoricum: & iuleb ad ſaccharum candum conficiendum: & pleraque alia medicamentorum genera.

De Coctione.

MEDICAMENTA ſimplicia aliquo humore coquuntur aut vapore, hoc genus coctionis elixatio vocatur: aut cum ſiccitate, & hoc aſſatio appellatur; Coctio autem fit ad præparationem, & ad compoſitionem. De præparatione nunc dicemus.

Quę in humidis coquuntur, ea gratia id fit, vt ipſa medicamẽta ſic cocta vſui eſſe poſsint, aut vt humoris duntaxat in quo cocta ſunt vſus ſit.

Rurſus quę, vt coctis vtamur, coquuntur, plus coctura requirunt, quàm ea, quorum decoctio in vſu eſt. Sunt tamen certę quędam notę, quę denotant, an huius aut illius rei gratia bene coctę ſint: vt herbæ, radices, flores & fructus cocta ſunt, quando ita tene-

reſcunt,

reſcunt,vt tundi,& per cribrum tranſmitti poſsint.

Semina quędam,veluti lini,fœnigręci,hordei,coʒta cenſentur vbi crepuerint:alia quædã veluti aniſi, coriandri,& cumini,quando tenereſcunt.

Fructus peregrini & ſicci,vt ſunt myrobalani, cortices,ligna, & radices ſiccæ, multam deſiderant cocturam.

Herbæ & flores facilè coquuntur & citò tenereſcũt,tametſi inter ſeſe differãt, prout magis tenuium ſunt partium,& illorum facultas in ſuperficie ſita eſt, vt chamęmelum,adianthum,ſerpillũ & ſimilia, quæ quando vnà cum alijs coquuntur, primùm immitti debent cùm illa propemodum cocta fuerint.

Eadem eſt ratio radicum tenuium partiũ aut odoratarum,vt eſt aſarum,valeriana,ſpica nardi, & alia aromata,quę ſub finem decoctionis inijciuntur, ſed poſt reliqua medicamenta flores.

Elixationis autem multę ſunt differentiæ. Primus modus eſt, vt vaſi certam quandam ac præſcriptam humoris quantitatem cõtinenti infundantur quę coquenda ſunt, magis aut minus, prò medicamentorũ ſiccitate aut recentia: deinde vaſe impoſito igni,primùm ſatis fortem patientur bullitionem, deinde lentam, vt cõmodiùs ad eam quam optamus cocturam reducantur, neque medicamenti vires exoluantur. Secundus modus eſt, vt eadem planè ratione in diplomate coquantur. Tertio elixationis modo vtitur Gal.in fructibus. Hos ſuſpendit in vaſe aqua feruida ſemipleno, eosque voluit tantiſper donec æqualiter tenereſcant:ſic enim fit vt fructus facultas non exhalet,quemadmodum ſi calore ſicco coqueretur: neq; in humorem tranſit, quemadmodum ſi in aqua coqueretur.

Cæterùm vaſa in quibus coquenda ſunt medicamenta, figulina eſſe poſſunt vitrata & macerata, vitrea, ærea,ſtannata, cuprea; præſtantiſsima ſunt vitrea,

trea,in duplici vaſe,aut apud ignem,aut in arena,aut cineribus,aut in fornace cui ſubſit ignis.

Ignis ſtruendus è carbonibus,aut prunis,& lignis ſiccis acapnis.

De Aſſatione, & Frixione, & Vſtulatione.

ASSARE, eſt medicaměta humore aliquo prędita, veluti carnes, fructus & radices, ſine humore alio externo coquere.

Frigere, eſt illa ipſa medicamenta, aut alia ſicca, additis oleis, aut adipibus, aut alio aliquo humore pauca quantitate coquere.

Vſtulare, eſt medicamenta quædam, tantum humoris non habentia vt coqui poſsint, fruſtulatim ſecando calefacere, illis tegulæ impoſitis aut laminæ ferreæ calidæ, donec partes externæ ſiccentur & veluti torreantur, quemadmodum fit in rhabarbaro, myrobalanis,ſemine melanthij,& alijs.

Quæ aſſanda ſunt, veru tranſfixa ad ignem perpetuò verſantur,vt vndique ignem ſentiant: aut in clibano coquuntur; aut in vaſe fictili iuxta ignem poſito,& teſta contecto,ſuprà poſitis prunis ardentibus; aut per ſeſe: aut maſſa panis inuoluta, vt ſcilla: aut malo cydonio impoſita, vt ſcammonium quod corrigendum eſt: hoc namque malo cydonio concauo exemptis ſeminibus impoſitum coquitur aut in clibano, aut in olla fictili ad perfectionem, aut ſub cineribus linteo aut folijs inuolutum, aut nudum: tametſi huiuſmodi coctionis genere naturales medicamentorum facultates diſsipentur: præſtat igitur alijs modis vti,vt maximè oportunum videbitur: non enim peculiariter id præſcriptum eſt.

Frixio fit aut in ſartagine, aut in teſta. Torrefactio vt ante dictum eſt.

In his autem omnibus modus ſeruandus eſt: nam neque cruda eximenda ſunt, quæ aut aſſatione, aut frixione cocta eſſe debent: neque etiā adeo coquen-

da vt torreåtur aut vrantur, & inutilia cum in quem præſcripta ſunt ſcopum reddantur.

De Vſtione.

VRVNTVR medicamenta aut per ſe accenſa, vt ſarmenta, rami ficus, cerri, herba cali, & plerǫque aliæ: aut prunis ardentibus impoſita, aut ollæ impoſita cum ſulphure, aut ſola.

In olla vruntur abrotonum, anetum, cucurbita, impoſita carbonibus ardentibus, quæ tantiſper igniri ſinitur, donec herbæ in cinerem reducantur.

Sericum ſic vritur. folliculi recentes detracto glomere ſerici quo veſtiuntur vruntur in olla carbonibus impoſita: idque non vt in cinerem redigantur: ſed eximuntur cùm ea acceſsit vſtio, vt commodè teri poſsint.

Vruntur pleraq; animalia, veluti Echini terreſtres, hyſtrices & hirundines, ſale inſperſo, ollæ imponuntur ſupra carbones aut in fornace calida: operculo autem foraminulento tegenda eſt olla, vt ex ſublatis halitibus cognoſci poſsit, cùm ſatis vſta fuerint. Cæterùm cauendum eſt ſibi ab halitibus qui è viperis & ſcorpionibus attolluntur, noxij enim ſunt.

Sal & nitrum eodem modo vrenda, vſta autem ea eſſe indiciũ eſt, cùm non amplius exiliunt, & ſtrepũt.

Alumen, vitriolum, corallium vruntur in fictili aperto, vt videri poſsit cùm cocta erunt; cuius indicium eſt ſi amplius non ebulliant, ſi perfectè inaruerint, ſi bullas excitare deſierint: vitreolum ſeu calcanthum, ſi colorem mutauerit.

Oſſa, vngues, cornu ceruinum eodem planè modo vrenda ſupra carbones, donec nullum fumũ amplius exhalent, coloremque mutent.

Cancri diebus canicularibus capti, Lunę decimo octauo die, vruntur in ſartagine ærea.

Lapides ſub carbonibus vruntur à follibus vel flabellis excitatis donec planè igniti ſint, deinde humore

more aliquo extinguũtur, ac rurſus ſub carbonibus ponuntur, aut cõmodiùs in vrceolo Aurifabrorum, toties repetendo donec in puluerem redigantur.

Aeris & plumbi laminæ tenuiſsimæ, cum ſulphure & ſale alternis ollæ crudæ imponuntur: hæc carbonibus cingitur, aut in fornace reconditur donec percocta ſit: vel vrceolo reponitur ſupra carbones donec planè ignitus fuerit. Dum verò plumbum ardet, aſsiduè verſandum eſt, donec totũ in puluerem redigatur. Poteſt etiam plumbum ſine ſulphure & ſale vri in fornace quæ duo habeat ora, mediaque ſit diuiſa muro làteritio dimidiũ pedem alto: & in vna parte ignis ſuccendatur, in altera plumbum repoſitum aſsiduè verſetur donec totum in puluerem redigatur: Hæc verò vrendi ratio vtilis eſt, cùm plumbi copia eſt vrenda, ſic enim & ſumptibus & tempori parcitur.

Stibium pinſita farina circumlitum & carbonibus obrutum torretur, donec ipſa cruſta aduſta ſit: Si enim paulò magis cremetur, fit plumbum.

Reſinæ, olea, pix, thus, ſtyrax, & ſimilia vruntur ad fuliginem eorum excipiendam: nam aut his in vas coniectis ignis immittitur: aut in liquatis elichnium accẽſum imponitur, & patina fictili aut ærea in vertice foraminoſa quo fumus exhalare poſsit, fuligo adhærens excipitur.

De Extinctione.

GEMMAE & quædam metallica ſæpius, antequam vrantur, ignita, extinguuntur aqua, vino, oleo, melle, butyro, aut alio aliquo humore, donec refrixerint.

Quædam ſemel duntaxat, aut ſæpius extinguuntur, ex Medicorum præſcripto.

De Tritura.

MEDICAMENTA teruntur, vt, quia commiſceri propter craſsitiem & duritiem non poſſunt,

 reducta

reducta in puluerem exactius miſceri cum alijs poſſint: craſsius autem aut tenuiſsimè teruntur pro Medici vario ſcopo. Terendi autem modus varius eſt, pro ſimplicium natura.

Metallica valenter,& diu terenda ſunt.

Medicamenta odorata veluti caſsia ſeu canella, caryophylli,macis,& ſimilia moderatè ſunt tundenda, ne pars tenuior exhalet, & interdum illis aut amygdalæ adduntur,aut aqua roſacea inſperguntur.

Radices odoratæ, vt angelica, valeriana, garyophyllata,aſarum,eodem modo,eademque diligentia terendæ ſunt.

Quæ verò non ſunt odoratæ,ſed craſſæ & ſolidæ, vt gentiana,peucedanum, bryonia, violento ictu & diuturno verberandæ ſunt.

Herbę odoratæ, ſicut calamintha montana,amaracus,ſerpillum, præterea flores, eodẽ modo teruntur,quo radices odoratæ.

Thus,maſtiche,ſarcocolla,& ſucci qui humorem, & lentorẽ retinent tundendo non teruntur, ſed clementer ducto piſtillo per fundum ac latera mortarij.

Gummi & lachrymæ,quale eſt gummi arabicum, tragacantha,eodem modo terentur.

Rhabarbarum,& quædam aliæ radices aliquo humore præditæ eodem modo terendæ.

Galbanum, ammoniacum, opopanax, bdellium, myrrha,ſuccus glycyrrhizæ,hypociſtidis, cucumeris ſylueſtris,& opium thebaicum teruntur affuſa aqua, vino,aceto,aut alio humore.

Moſchus & ambra cum aqua roſacea, ne partes odoriferę euaneſcant.

Similiter & ſemina quędã, quę glutinoſum quiddam & pingue habent,vt thlaſpi ſemen.

Semen napi & ſinapi ſola non teruntur, ſed alijs medicamentis ſiccis permiſta teruntur, aut cum humore aliquo,pro rei neceſsitatè.

Fructus

Fructus recentes, & radices recentes, quarum vſus eſt in compoſitis medicamentis, ante & poſt coctionem tunduntur, vel fruſtulatim ſecantur, aut mediocriter tantùm confractæ infunduntur vt dictum eſt.

De Tritura craſsiore.

TRITVRA craſsior fit dum medicamenta craſſius duntaxat franguntur, nec in puluerem reducuntur vt in tritura abſolutè ſumpta. Hæc pleriſque medicamentis quorũ talis vſus requiritur, vtilis eſt: Alijs præterea multis medicamentis quæ alia pręparatione indigẽt, veluti ſunt herbæ & radices quę coquendæ ſunt, & ea quæ in tenuiſsimum ſunt reducenda puluerem.

De Tritura ſubtiliori, ſeu Attritione.

MOLVNTVR ſeu teruntur ſemina quædam, veluti triticũ, lolium, lupini, ſemen lini, & fœnigręci, quòd commodè tundi non poſsint; tum etiam quòd cortex vnà cum farina miſceretur.

Teruntur præterea quędam metallica, quę contuſa in puluerem tenuiſsimum reduci non poſſunt, veluti thutia.

Sic & lapides pretioſi, lapis lazuli, armenius, terũtur in mortario marmoreo lato fundo, cum molula marmorea, inſperſa interdum aqua roſacea, aut alio humore, ne puluis euolet.

Commodiùs item teruntur in porphyrio marmore plano, diu ducta per ipſum marmor molula, donec prioribus digitis confricando medicamẽta, nulla amplius inæqualitas ſentiatur.

De Confricatione.

LAPIS Iudaicus, & hæmatites, multique trochiſci & collyria ad oculorũ morbos parata, liquantur confricationẽ ex aliquo humore ad cotem medicã, qualis etiamnũ hodie ex Naxo inſula adfertur.

Plumbum verò liquatur in hunc modum. Infuſus in plumbeum mortarium humor, piſtillo plumbeo

verberatur atque agitatur donec craſſeſcat, deinde lauatur, ac plumbum ſubſidere ſinitur, tum aqua effuſa plumbum reponitur.

Eodem modo liquatur æs ad chryſocollam conficiendam.

De Cribratione.

CRIBRANTVR farinę, vt à furfuribus, & à corticibus ſe cernatur flos purior ac tenuior. Cribrantur etiam medicamenta quæ teruntur, vt puluis æqualis ſit, parteſque craſsiores in cribro retineantur.

Tela autem ex qua cribra fiunt, denſior aut rarior eſſe debet pro vario medicamentorum ſcopo.

Lithargyros per telam ſecernitur, ne ſuo pondere cribrum ſtamineum confringat, craſsiorque ſecernatur quàm opus ſit.

Cribrantur etiam radices coctæ & fructus, vt à corticibus & ſeminibus repurgentur.

Pulpa itidem caſsiæ ſolutiuæ cribro tranſmittitur, vt ſolus flos ſeu pulpa, à corticis fragmentis & ſeminibus repurgetur: ſic etiam tamarindi, & dactyli humectati, aut infuſi, aut cocti pro rei neceſtate.

De Lauatione.

LAVANTVR medicamenta, ſi foris re aliqua ſunt contaminata. Sed hoc lotionis genus præparationi medicamentorum peculiare non eſt, ſed cęteris rebus commune, quæ luto, vel re alia contaminatæ, lauatione opus habent.

Lotionis autem, de qua hîc agendum, duplex eſt finis: vt videlicet à medicamentis qualitas aliqua tollatur: aut vt aliam aliquam facultatem acquirant.

Cæterùm ex his quæ ad ſordium ſeparationē abluuntur: Calx & aloë tenuiſsimè terendæ ſunt: deinde affuſa aquæ copia ſatis magna ſimul miſcentur & quieſcere ac ad fundum vaſis ſubſidere ſinuntur

tum

tum effunditur aqua: atque id ſæpiùs repetitur, donec aqua pura remaneat: denique medicamentū ſiccatur ac reponitur.

Metallica tenuiſsimè læuigata, ac in aquā puram, aut marinam, aut acetum, aut alium humorem immiſſa, in Sole feruidiſsimo totum diem rudicula agitantur, & per noctem reſident, mane aqua effunditur, atque alia iniecta rurſus eodem modo agitantur, quoad aqua quæ effunditur ſit limpida.

Lapilli minutiſsimè confracti, in aquam aliumúe humorem iniiciuntur & manibus confricantur ac agitantur, deinde vbi ſubſederint, aqua effunditur, idque toties repetitur, donec aqua pura emanet.

Sic lauantur acacia, & alij ſucci qui commodè in puluerem redigi non poſſunt, gummi Arabicum, & lacca.

Reſinæ, adipes, medullæ, & olea liquantur, agitantur, aqua affunditur toties ac effunditur donec pura appareat. Oleum verò lauando minus eſt verberandum, ne aquæ adeò miſceatur, vt poſt ægrè poſſit ſeparari.

Quæ in decoctionibus aut ſuccis lauantur medicamenta, vt de illorum facultate nonnihil acquirant, cum tanta humoris copia lauari non debent vt prædicta, neque toties, neque ea adhibenda eſt diligentia in illis ab humore ſegregandis: quemadmodum ſi aloë ſucco roſarum, aut intybi, aut cum ſpecierum decoctione lauetur ad pilulas alephanginas: & turbith cum agarici & tithimalorum decocto, vt valentiùs purgent.

De Succorum extractione.

SVCCVS ex folijs & germinibus per ſe tritis exprimitur, & depuratus ſiccatur aut Sole aut igni, donec eam conſiſtentiam nanciſcatur vt in paſtillos formari poſsit, ac ita ſeruari, aut liquidus ſeruatur

in vaſe anguſti oris,ſuperfuſo oleo digiti craſsitudine.

Sic exprimuntur ſucci ex fructibus, veluti ex vua immatura, malis punicis,ſorbis,meſpilis,cydonijs,limonibus,& ſimilibus,& interdum ſcarificatione:ſed liquidi ſeruantur plerunque eo quo iam dictum eſt modo,aut ſale inſperſo,vt omphacium.

Quædam herbæ quę pauco humore eoque lento ſunt præditæ,vt hedera, portulaca, cotyledon, ſemperuiuum,opus habent admiſta aqua,aut alio liquore illarum facultatibus ſimili,inter terendum, vt expreſsione, vnà cum ipſo humore extrahatur: aut ſi tuſæ calatho imponantur loco frigido, vt paulatim ſuccus in ſubiectum catinum defluat.

Ex radicibus autem & herbis quibuſdam ſiccis, aut pauco humore pręditis, vt eſt lentiſcus, abſinthium,glycyrrhiza,centaurium maius, gentiana, & ſimiles,ſuccus hac ratione extrahitur. Quinque diebus in aqua macerantur, deinde in eadem aqua coquuntur donec craſſeſcat: colata poſtea aqua denuo coquitur quoad mellis craſsitiem habeat: tum in ſole ſiccatur,ac in paſtillos conformata reponitur.

Ex ebulo, iride, cucumere aſinino ſcarificatis aut tritis,ſucc⁹ expreſsione extrahitur, vt ſuprà dictũ eſt.

E thapſia autem & peucedano,ſcrobe circum radices facta cortex inciditur,liquorque emanans ſubiectis folijs aut vaſe aliquo purus excipitur. Thapſiæ ſuccus ſole, peucedani verò vmbra ſiccatur. Ex his etiam tritis,aut ſcarificatis,expreſsione ſuccus extrahitur: ſed chirothecę manibus inducendæ, & facies velanda eſt, ne vapores è thapſia exhalantes faciem inflent & exulcerent.

E tithymalis ſuccus vindemijs exprimitur inciſis ſummitatibus, & ſuccus effluens vaſe exceptus Sole ſiccatur, aut farinę orobi permiſcetur, aut fico ſicca quinque aut ſex guttulæ excipiuntur, ficusque reponitur,vt ait Dioſcorides.

Hypo-

Hypociſtis quæ ſub veris finem radicibus ciſti adnaſcitur,teritur,& ſuccus expreſſus Sole ſiccatur.

Ex cucumere agreſti elaterium ſic colligitur. Decerpti cucumeres maturi,qui tacti protinus exiliunt, impoſito ſupra vas aliquod rariore cribro , ſigillatim ſupino cultro ſurſum verſus aciem habente ſinduntur , atque per cribrum humor in ſubiectum vas exprimitur, ſimulque carnoſum quod hæſit cribro,quò faciliùs excidat,eliditur:Coaceruata autem in cribro ſegmina dulci aqua perfunduntur & denuò preſſa abiiciuntur: humor in pelui agitatur,& linteo opertus duplicato,Soli exponitur: dumque ſteterit , tota ſupernatans aqua cum ſpuma identidem effunditur, deinde conterendo cogitur in paſtillos,& ſeruatur.

Scillę ſuccum ſic extrahit Galenus. Scilla viginti diebus ante caniculæ exortum euulſa, atque à corticibus externis purgata, manibus in exiguas diſcerpitur particulas,& in vas conijcitur à quo recenter exemptum fuerit mel : poſteà bene adaptato operculo illud obturans , extrinſecusque pelle circundans & diligenter colligans, in loco meridiem ſpectante,qui à borealibus non perfletur ventis , Soli exponitur quadraginta diebus , interdum vas vertendo , vt ex omnibus ſimiliter partibus Solem ſentiat: deinde vas aperitur,& is humor qui ſupernatat, colatur , melle conditum coquitur ac ſeruatur. Ex ſcillę carnibus fermento quodam inuolutis ac quaſi coctis , deinde tuſis & cum melle miſtis fit elegma ſcilliticum,ſucco iam dicto perſimile.

Cucurbita,farina piſta inuoluta,& in clibano cocta ad cruſti frumentacei coctionem ; aut ſcarificata deinde expreſſa,ſuccum emittit cuius vſus eſt.

De Muccaginum extractione.

MVCCAGINES ex ſemine pſyllij,lini,fœnigręci,cydoniorum, & è radicibus quarundam plantarum,vt eſt althęa,malua, acanthus , infuſis in aqua

noctem vnam, extrahuntur: miſcetur deinde dicta aqua, & calefit donec bulliat, & ſemina crepent, & muccago craſsior ſupernatet: tum enim mantili ex tela noua forti imponitur ac colando exprimitur, aut virgis duabus intorquetur ſacculus à ſummo ad imum, ac alio bacillo percutitur ſuccusq́; deraditur.

Pſyllium item (vt eclegma de pſyllio ſuauius fiat) maceratur aqua recenti per 24. horas, deinde rudicula ſæpius agitatur, donec muccago ſupernatet, excepta inde muccago colatur ac in vſum ſeruatur.

Simile eſt mel anacardinũ appellatũ, quod fit ex recẽtibus anacardijs exiguis diutiꝰ coctis, ex his enim enatat liquor quidam aut muccago prædictę ſimilis.

De Deſtillatione.

HERBAE, flores, fructus, liquores, & animalia, potius vaſis vitreis aut figulinis deſtillanda erant, quàm plumbeis vt vulgò fit: tametſi experientia cõprobatum ſit, medicamenta plumbeis vaſis deſtillata non tantam noxam adferre quam pleriq; metuunt: animaduertendum tamen eſt, omnino plumbeis vaſis non eſſe deſtillandum acetum, omphacium, limones, aliaſque res acres quæ intra corpus aſſumendæ ſunt, nam facilè incommodum adferrent. Optimus quidem eſſet is calor, quo in deſtillatione ſurſum vapores attollũtur, qui ex aqua feruẽte fit; minus enim medicamentorum facultatem corrumperet: difficilis tamen ea eſt deſtillandi ratio, magnarumq́; impenſarum, & aquæ ſic deſtillatæ non diu perdurant, quin facilè putreſcant. Itaque neceſſarius eſt ignis è carbonibus accenſis, aut lignis ſiccis nec fumum, nec tetrum odorem expirantibus, moderatus, non magnus, æqualis. Commodiſsima ea eſt ratio quę fit vaſe, quod materiam continet deſtillandam, ſub cineribus aut arena in fornace ſepulto, & igne cineribus aut arenæ ſubdito: ſic enim temperatior eſt calor, commodiusq́; humor extillat, & melior eſt, priorque

poſte-

poſteriori ſimilior eſt;etiamſi ex omnibus quę deſtil-lantur liquor qui primò,qui ſecundò,quique poſtremò elicitur aliquantulum inter ſeſe differant.

Fit etiam deſtillatio vaſe floribus aut ligno completo,quod foraminoſum ſit,aut telam,craticulamúe habeat qua deſtillanda ſuſtineantur,tegula aut operculo ſupra vaſis orificium impoſito,in quibus carbones accenſi, calore ſuo deſtillare faciant in fundum ſubiecti vaſis,aut aquam,aut oleum non minus odoratum,quàm quod vulgari modo elicitur.

Porrò aquæ deſtillatæ per aliquot dies Soli exponi debent in vaſis linteo aut membrana perforata obturatis, vt quicquid excrementoſum eſt reſoluatur, ſimulque exhalet empireuma quod in aquis deſtillatis remanſerat.

Alio preterea quàm ignis calore fit deſtillatio,nam & per fimi calorem, vinaceorum, & ſauſa fiunt deſtillationes,verùm hæ in medicamentis præparandis non ſunt admodum aptę,ſed potius ad chymiſtas referri debent.

De Oleorum extractione.

OLEA è fructibus, ſeminibus, liquoribus, lachrymis,rebusque omnibus pinguibus,& etiã è metallicis exprimi poſſunt.

E fructibus,veluti ex amygdalis dulcibus & amaris, ex ſtrobilis,piſtacijs, balano myrepſica, nucibus, & nuce moſchata.

E certis ſeminibus,veluti è ſemine lini, ſeſami, ricini,& aliorum. Exprimuntur autẽ in hunc modum.

Fructus & ſemina cortice duro prædita purgãtur, teruntur,& loco calido,quo ad Solem,aut in duplici vaſe reponũtur: deinde rurſum trita,torculari exprimuntur; aut, cùm trita ſunt, inſperſa calida aqua, tantiſper agitantur,donec oleũ ſupernatet, tum manibus,aut torculari exprimuntur.

E fructu oleæ,lauri,iuniperi,& lentiſci maturo in aqua

aqua cocto, oleum ſupernatans aquæ colligitur: aut ex eis tuſis inſperſaque aqua calida oleum vt ſuprà exprimitur.

E lignis, iuniperi, aloës, guaiaci, piceę, oleum extrahitur. capitello figulino cocto, aut æreo ſumpto, cum eiuſdem materiæ receptorio cuius fundo craticula ferrea inſideat; receptorium illud ligni fragmẽtis impletum in pyramidis formam, vt applicatũ capitellum ſuper receptorio, quodammodo etiam impleatur. deinde ſuprą aliud vas pedem altum imponuntur, quod tantum in terra reconditur, vt matella plena cum capitello ſuo huic impoſita; matella quidem ſub terram recondatur, capitellum verò ſolum extet, circa quod ignis extruendus eſt, cuius calore oleum ex lignis elicitur, ac in ſubiectum vas decidit.

E lachrymis, reſinis, & liquoribus, oleum alembico in matellis vitreis elicitur, quemadmodum in deſtillatione dictum eſt.

Sulphur in exiguo vaſe vritur ſuperimpoſito capitello lato quod vapores in altum elatos in humorem conuertat: ſed is humor aqua potius, quàm oleũ eſt.

Oleum verò etiam per alembicum elicitur ex ſulphure, quemadmodum ex reſinis, lignis, gummis, cęterisque rebus, è quibus oleum, rationibus ſuprà dictis, extrahi poteſt. Sed etiam in hunc modum aliquando extrahitur. Sulphur liquatum laterculique tenuiſsimè triti ęquis partibus per alembicum deſtillantur, deinde fęces cũ humore extracto rurſus permiſtæ denuo deſtillantur.

Sic etiam è cera extrahitur, niſi quod humori primùm extracto adduntur vncię tres lumbricorum vino albo ablutorum, & drachmæ duæ croci tenuiſsimè læuigati, deinde iterum permiſta cũ fęcibus prioris deſtillationis, deſtillantur.

E calcantho ſic fit. Calcanthum quàm optimum, quod ea facultate prędi tum ſit, vt ferrum politũ contactu

tactu ſuo æris colore tingat, tenuiſsimè tritum in matellam infunditur, & applicato capitello deſtillatus humor reponitur, ipſumque calcanthum eò vſque ſupra ignem relinquitur, donec vſtum ſit & rubrum: deinde exemptũ teritur, & humori ſuo permiſtum, denuo in vas conijcitur & per diploma deſtillatur donec oleum emanet.

Ex ſtibio ſic. Stibium electiſsimum tenuiſsimè tritum in matellam conijcitur affuſo tanto aceto ſtillatitio, vt ſtibium tegat quatuor digitis: deinde obturato ore vaſis ſub fumum calidum per octiduum reconditur: poſteà deſtillatur lento igni in fornace cineribus aut arena plena: &, ſi nullus humor amplius ſtillet, eximitur vas & affuſo aceto ſtillatitio, vt primùm, ſub fimo calente quatriduum ſepelitur, deinde in duplici vaſe per vnam aut duas horas coquitur: & vaſe exempto, ſi quid humidi remanſit filtro colatur, & recẽti addito aceto ſtillatitio, vt initio factum eſt, permiſcetur & toties per filtrum colatur, donec clarum emanet: tandem omne acetũ percolatum lento igni deſtillatur, & cùm nihil aceti amplius emanat, quod reliquũ eſt, oleũ ſtibij ſeu antimonij appellant.

Oleum tartari fit ex tartaro vſto in vaſe fictili lutato, in fornace, in qua vitra aut laterculi coquuntur, donec candidum fiat: deinde in ſacculo impoſitum in cella reponitur, ex quo liquor emanat aquæ quàm oleo ſimilior.

Oleum ouorum ſic fit: Vitelli ouorum elixando duratorum manibus friati in ſartagine terrea plumbata frigantur, igni mediocri, aſsiduè mouendo donec oleum ab his reſoluatur, & ſic calidi panno lineo inuoluantur, & torculari exprimatur oleum, quod refrigerari ſinitur, donec limpidum fiat.

Ex frumento & ſinapi torrefactis in patina terrea, oleum torculari exprimitur: aut trita, in patina lento igni friguntur, & inſperſa aqua mouentur, deinde torcu-

torculari exprimuntur.

De Expreſsione.

EXPRESSIONE, medicamentorum humida & tenuis ſubſtantia extrahitur, & à craſſa ac ſicca ſeparatur, velùti fructuum ex quibus oleũ aut ſucci exprimuntur, herbarũ, radicum: tum etiã decoctionum & infuſionum quarũ pars humidior in vſu eſt.

Expreſsionis inſtrumenta ſunt manus, prælum, ſacculus qui duobus baculis comprimitur & cæditur, tela aut ſtamen vulgare manibus contortum vt vulgo fit.

Debent autem medicamenta plus vel minus pro vſus neceſsitate exprimi.

Succi & olea forti expreſsione extrahuntur. De decoctionibus verò & infuſionib⁹ ex præſcripto medicorum agendum.

De Colatione.

COLATIO fit vt pars craſsior ſeparetur, vt in ſuccis, oleis, decoctionibus, infuſionibus, iulepis, ſyrupis, gummis, lachrymis & reſinis liquatis.

Varia autem ſunt colationis inſtrumenta, vt fiſtulę ſeu tubi, ſtamen, pannus, ſacculus, vaſa figulina cruda, vaſa hederacea, quæ tenuem humorem tranſmittunt, craſsiorem ſubſtantiam retinent, officinis ignota.

Humida, quales ſunt ſucci, ſyrupi, infuſiones, & decoctiones, per ſtamen vulgare colantur, aut laneis pannis extenſis, aut per colatorium, quo ſolo, aut duplici, aut triplici vtimur, primo minore & rariore, ſecundo maiore vt ſummum ambire poſsit relicto tamen vndique trium digitorum interuallo, tertio eoque infimo, maiore ſecundo ad eandem proportionem, atque denſiore: quibus humor eadem opera perfectiſsimè colari poteſt.

Iulepi, ſyrupi cum ſaccharo aut melle confecti, colantur

lantur linteo raro, aut ſtamine vulgari in ligno extē-ſo, aut ſacculo ſtamineo, ijſque calidi, nam frigidi tranſmeare non poſſent.

Colantur etiam nonnulla per filtrum, vt calcanthum aqua diſſolutum, & alia ſimilia venenoſa facultate prædita, in hunc modum. Filtrum ſumito quatuor digitos latum, longumque vt vaſis fundū in quo medicamentum colandum continetur contingat, altera extremitate acuminata extra vas propendeat: illud enim aſsiduè humorem imbibit, illumq; in aliud vas contiguum effundit.

De Clarificatione.

LIQVIDA medicamenta quibus multa materia admiſta eſt clarificātur: dum quieſcere permittuntur, donec quod fæculentum eſt ſubſideat, ſumēdo quod clarificatum eſt: aut dum colantur vt antè dictum eſt: aut dum quæ ægrè clareſcunt, Soli exponuntur; aut igni coquuntur, ac deſpumantur, dein colantur; aut iniecto omphacio, vel ſucco limonum, vel aceto; vel ouorum albumine verberato (vt vulgo fit) dum bulliunt, dein deſpumatior ac colatior.

De Deſpumatione.

DESPVMATIO fit, deraſa, dum medicamēta coquuntur, ſpuma quæ ſupernatat, cochleari ferreo pertuſo, ne cum ſpuma etiam humor, in quo fit coctio, abijciatur: hæc omnibus quæ coquuntur communis eſt.

Deſpumantur etiam ſucci, mel, ſaccharum, reiectis partibus craſsioribus & excrementicijs, dū coquuntur, aut per ſe, aut albuminibus ouorū bacillo quaſſatis, vt in clarificatione dictum eſt: deinde ſpuma ablata cochleari perforato, aut colatione per ſtamen facta, aut per pannum laneum clauis affixum, aut per colatorium.

De

De Coloratione.

MEDICAMENTIS color acquiritur, admiſtis quibuſdam coloratis, vt eſt ærugo raſilis, cinnabaris, minium vulgare, ceruſſa, & ſimilia: aut diutina coctione quemadmodum ea quę æruginē recipiunt.

Quædam viridia ſunt, quædam rubra, quædam nigra: quædam lotione candida fiunt, vt oleum & terebinthina; quædam inſolatione, vt cera, & ſapo in taleolas aut laminas ſectus: quædam coctione ad Solem, vt multa emplaſtra: quædam rudicula aut manibus diutius tractata albiora euadunt, vt penidia, eclegmata, manus Chriſti.

DE MEDICAMENTORVM COMPOSITORVM GENERIBVS, EORVMQVE MISCENDI MODO.

Sectio tertia.

De Conditis, aut Conſeruis.

CONDITA aut conſeruę fiunt è floribus, fructibus, radicibus & corticibus.

Conſeruæ florum, veluti roſarũ, violarum, bugloſſæ, fiunt è floribus tritis aut minutim conciſis, addendo triplum aut quadruplum ſacchari puluerati, affuſa aliquantula aqua ſtillatitia vt commodius permiſceri poſsint: deinde Soli exponuntur bene obturato vaſe, & interdum agitantur.

Fiunt etiam nonnunquam perfectè cocto iulepo, atque in eum iniecta tertia aut quarta parte florum tritorũ aut minutim conciſorum, deinde inſolantur.

Fructus condiuntur aut conficiuntur coctione; cocti enim, cribro cernuntur, & ad ſingulas iulepi libras, pulpæ quatuor vnciæ adijciuntur, deinde lento igne coquuntur donec ad eam conſiſtentiam perducti ſint, vt nec nimium liquidi, nec nimia coctione aridi & exſucci ſint redditi: quod experientia facilè deprǽhendi poteſt: nam ſi guttula in marmor aut ferrum demiſſa, manus, vbi refrixerit, non inquinet, iuſtam eſſe coctionem, cenſebitur.

Condiuntur præterea fructus ſi primùm repurgati à cortice & oſsibus, æquis partibus cum ſaccharo & aqua lento igni coquantur, donec ſaccharum to-

tã fructuũ ſubſtantiã penetrarit, & ad iuſtã coctionẽ perducti ſint: quod ex eo deprēhẽdetur, ſi iulepus cõſiſtentiã habeat lentã, ita vt digitis ductus fila tenuia mittat, ſed id experientia ipſa certius commonſtrat.

Fiunt etiam conſeruæ fructuum, ex eorum ſucci vncijs ſex in ſingulas ſacchari clarificati libras, coctis lento igni quoad gelatinæ craſsitiem ademptæ ſint, ac tum in pyxides conijciantur.

Formantur præterea in paſtillos eædem florum & fructuum conſeruæ diutius coctæ.

Fructus peregrini primũ macerantur, deinde cocti cũ iulepo dilutiore, quem longũ vocãt, condiuntur.

Radices vt condiãtur, primũ terra & cortice exteriori purgatæ, & matrice, deinde in partes ſectæ, coquuntur in iulepo dilutiore donec radicũ ſubſtantiã penetrarit, & probè coctę ſint vt in fructib⁹ dictũ eſt.

Cortices quorundam fructuum, veluti citriorum, malorum medicorum & limonum, quòd ſubſtantia ſint aliquantulum amara, primùm aliquot dies in aqua macerantur, ſæpius aqua mutata, deinde aquæ incoquuntur donec tenereſcant; tandem in aquam recentem ſemel atque iterum immittuntur; poſtremò in iulepum aut mel, cui multa ſit aqua admiſta, iniecti coquuntur ad iuſtam craſsitiem.

Radices & cortices peregrini humectãtur, deinde in iulepũ impoſiti coquũtur, vt de fructibus dictũ eſt.

Conſeruæ florum & fructuum annum durant & interdum biennium, cortices diutius: & in pyxidibus aut vaſis bene obturatis reponuntur.

Interdũ à Medicis adduntur iam dictarum conſeruarum iulepis aromata, & medicamenta purgantia, vt infrà dicetur.

De Infuſionibus.

SVPRA dictum eſt qua ratione fieri debeãt infuſiones ad medicamentorum præparationem, nunc verò de earum compoſitione agemus.

Duo ſunt earũ genera; nam aliæ per ſe corpus purgant: aliȩ adduntur alijs medicamentis quorũ nõnullas medicis recẽtioribus maximè vſurpatas deſcribemus. Vtrũq; infuſionũ genus ſȩpius à medico prȩſcribitur, in quo humore, qua quãtitate, qualitate, calidæ an frigidȩ, quantoq; tempore fieri debeãt: itẽ quales debeant fieri expreſsiones, fortes an imbecillæ. Hæc autẽ omnia diligenter perfici debent: & ſi quãdo cõtingat vt in medicamento non ſit expreſſa quantitas, qualitas & tempus: aut (ſi ſcribatur, infunde ſecundum artem) tanta quãtitas aquæ ſumenda eſt, vt medicamenta, quæ maceranda ſunt operiat.

Radices, fructus, ligna, aut cortices ſicci, & ſæuiẽte hyeme, macerari debẽt, primũ contuſa & confracta, aqua tepida aut calida per viginti quatuor horarum ſpatium, aut ſupra cineres; aut in vaſe calido, aut ad Solem, aut loco calido, aut pellibus operta aut pãnis, vt diutius humoris calor conſeruetur.

Flores, herbæ, aut fructus recentes, & æſtiuo tempore, macerãtur in humore frigido duodecim horarum ſpatio. In vtriſque expreſsio fortis facienda eſt.

Medicamenta purgantia, veluti agaricũ, myrobalani & ſimilia craſsius aut minutius confringũtur ex medici præſcripto, deinde macerantur, hyeme horis duodecim, æſtate ſex: expreſsio autem magis aut minus fortis eſto pro medici præſcripto.

Rhabarbarum & agaricum iam confracta aut trita inſperguntur aliquanto vino albo, deinde admiſcentur alijs rebus ſequentibus: Rhabarbarũ cũ aqua cichorij, ſpica nardi, ſchȩnantho, aut canella: Agaricum cum tãto oxymelite vt incorporari poſsit, & aromatizatur gingiberis momento & canella: dimidius autem ſcrupulus gummi triti ad ſingulas agarici drachmas additur: deniq; in tanta aqua ſtillatitia aut decoctione maceratur vt totum operiatur: inſuper ſæpius agitandum eſt, vt commodiùs omnia miſceantur.

Omnes autem hæ infuſiones recẽtes fieri debent, non autem ex ſumendæ quæ tempus legitimum aut præſcriptũ diu prætergreſſæ ſint, nam facilè corrumpuntur: quòd ſi conſeruandæ ſint, vas arena obruendum eſt, nam ſic melius perdurant.

De Decoctis.

DECOCTIS per ſe vtimur: aut medicamentis quibuſdam admiſcemus ad eorum compoſitionem, aut diſſolutionem, vt facilius aſſumi poſsint.

Præſcribitur item humor, quantitas, qualitas decoctorum, & an primùm medicamenta macerari debeant, qualis item debeat eſſe decoctio, fortis, an mitis, & ſi, inter colandum, craſsiorum, quæ remanent, partium debeat fieri expreſsio, & an valens, an clemens eſſe debeat.

Horum omnium ſumma ratio habenda eſt; & ſi quando nõ præſcribantur à Medico, in hunc modum intelligendum eſt, ſcilicet: Flores, herbas recentes, & ſiccas odoratas, radices graciles & odoratas, fructus, cortices peregrinos & odoratos, vt ſunt nux moſchata, garyophylli, cinnamomum ſeu canella, & macis, non multam expetere coctionem. Radices craſſiores, cortices & fructus non odoratos, multam coctionem deſiderare, vt copioſè ſuprà dictum eſt.

Horum autem vſus eſſe debet ſtatim à coctione, aut paulò pòſt, & conſeruari debent in vaſis vitreis diligenter obturatis loco frigido, aut arena ſepeliri, ſi diutius ſint aſſeruanda.

De Sapis, Iulepis, & Syrupis.

ROB, aut ſapa ſuccus eſt fructuũ Solis aut ignis calore inſpiſſatus, vt aſſeruari poſsit, & eo vti liceat in oris præſertim morbis aut per ſe, aut cum melle, aut ſaccharo, aut ſapa.

Perfectæ coctionis indicium eſt, ſi tantum inſpiſſata ſit vt frigefacta vnitatem quandã & mellis craſſitiem adipiſcatur.

Re-

Reponitur vaſis vitreis,aut figulinis vitratis ad annum vnum.

IVLEPVS Arabum, potionis genus eſt delicatæ apud Græcos,quę parabatur ex aqua,vino,& ſuccis cum melle.

Arabes id genus ſolum deſcripſerũt quod ex aqua & ſuccis componebatur, illudque iulep vocarunt: Græci recentiores ζουλάπιον ϗ ἰολάβον.

Fiunt autem cum aquis ſtillatitijs, & horum frequentior eſt vſus hodie: aut cum decoctionibus, & ſuccis ori gratis,ſed horum vſus nullus eſt, nam eorum loco ſyrupo ſimplici vtimur.

Roſaceus & violaceus parantur ex vncijs octodecim aquæ roſaceæ aut violarum ad ſingulas ſacchari libras: & quia his ſtatim vtimur tanta coctione non egent atque ſyrupi.

SYRVPVS aut ſerapiũ,ſimplex eſt, vel ex multis componitur. Simplex iulepo perquam ſimilis eſt, hoc ſolum differens, quòd ſuccus & decoctio è quibus ſyrupus fit,ingratior ſit, quàm è quibus iulepus.

Compoſitus fit ex infuſionibus, & variarũ rerum decoctionibus: interdum poſt coctionem aromata accipit aut medicamenta purgantia trita ac in nodulum ligata,atque in ipſo ſyrupo diu ſuſpenſa.

Simplices ſyrupi fiunt è ſuccis herbarum cichorij, endiuiæ,fumariæ, betonicæ, & ſimilium:aut è ſucco fructuum,vuæ immaturæ,ſucco limonũ, pomorum, citriorum; Coquuntur autem ſucci ad quartæ partis conſumptionem,& depurari ſinuntur: deinde huius ſucci ſic depurati libra cum ſacchari clarificati tantundem coquitur ad iuſtam craſsitiem, cuius indiciũ erit ſi guttula in marmor effuſa hęreat; aut digitis accepta,liorum adductione & diductione fila ducat.

Alij ſaccharum coquunt ad penidiorum vſq; craſſitiem,deinde ſuccum admiſcent,& ſimul feruere ſemel ſinunt,poſtea igni exemptum inſolant.

Simplices in ſua bonitate annum ſeruantur. Compoſiti biennium. Reponuntur vt dictum eſt.

De Eclegmatis.

MEDICAMENTA ea quę Arabibus loch dicuntur, Græci ἐκλείγματα & ἔκλικτα vocant, Latini linctus, quòd linguntur & lambuntur, ac retenta in ore paulatim liqueſcunt & in trachæam arteriam delabuntur, ſimplicia ſunt & compoſita.

Simplicia ex ſolius medicamenti ſimplicis decocto aut ſucco, & ſaccharo, melle, alioúe liquore parãtur.

Compoſita, gummi, fructus, & aromata recipiunt.

Eorum conſiſtentia media eſt inter ſyrupos & electaria: nam ſyrupis craſsiora ſunt, & electarijs dilutiora, ne tam facilè elabantur atque ſyrupi, nec tam difficilè in arteriam delabantur vt electaria.

Poſt coctionem diu in cacabo agitantur, vt candida fiant, ſintq́; oculis gratiora: nam aliâs, cùm eorum vſus ſit frequens, facilè faſtidium generarent.

Simplicia in ſua perfectione annũ ſeruãtur: Cõpoſita bienniũ, his exceptis quæ amygdalas, ſtrobilos, piſtacia, & alia huiuſmodi q̃ facilè ſeneſcũt, receperũt.

Reponuntur autem vaſis figulinis vitratis.

De Electarijs.

ELECTARIORVM, quæ Græcis antidota appellantur, multæ fuerunt differentiæ. Nos verò in electaria guſtatu grata & iucunda diuidemus, in electaria amara & ingrata, in electaria purgãtia & laxãtia, in theriacas, & electaria opium accipientia, quæ omnia ſecundũ hunc ordinẽ ſuo loco deſcribemus.

Conficiuntur ex varijs, & multis peculiaribus medicamentis, quorum delectus & præparatio maxima cum diligentia ex regulis ſuprà traditis fieri debet.

Saccharum aut mel eouſq; coquuntur, donec aromatibus inſperſis, iuſtam habeant conſiſtentiam, & poſsint deglutiri, aut diſſolui, prout vſus poſtulabit: animaduertendum tamẽ eſt, vt ſaccharũ aut mel tantum coquatur, vt repoſitum, ſitũ non contrahat, quod

fiet,quando ad ſyrupi decoctionē proximè acceſsit.

Aromatū quātitas inſpergēda,plerūq; in ipſa cōpoſitione expreſſa eſt:quod ſi expreſſa nō ſit,& ſimpliciter ſit additū,mellis aut ſacchari quantū ſatis eſt;vnciæ tres aromatū in ſingulas ſacchari aut mellis libras ſumendæ erūt,& in electarijs guſtu incūdis vnciæ duæ.

Saccharo aut melle cocto & deſpumato, & igni exempto,aromata paulatim inſperguntur, & aſsiduè verſantur donec perfectè miſta ſint.

Reponuntur vaſis figulinis vitratis, aut plumbeis bene obturatis.

Electaria palato grata durant annum,amara & ingrata biennium,purgantia annum.

Theriaca ad vigeſimum annū durat,reliquæ opiatæ in decennium: neque exhiberi debent ante ſemeſtre, niſi medicus aliud præſcribat.

Ex electarijs dulcibus fiunt interdum morſelli aut tabellæ: tum in ſingulas ſacchari cocti libras dimidia vncia ſpecierum inſpergitur inſtar manus Chriſti.

De Pulueribus.

PVLVERES qui nobis deſcribētur, partim intra corpus aſſumuntur,partim foris applicantur.

Qui per os aſſumūtur ex medicamētis cōponuntur aromaticis, aptis ad intemperiem corrigendam earum corporis partium quæ nutritioni deſeruiunt; ea autem ſunt interdum electaria, vt diacalamintha, diatrion pipere@n Galeni & ſimilia : & interdum admiſta habent quædam purgantia.

Qui foris applicātur,ex varijs medicamētis cōmiſcentur ſimplicibus,iiſq; diuerſis corporis adminiſtrātur partibus, veluti qui à vulgo Medicorū & Pharmacopœorū epithemata cordialia & hepatica vocātur.

Alij ſunt vtiles ad vulnera & vlcera,idq; in varijs corporis partib⁹,& varias ob cauſas, vt pulueres capitales,adſtringētes,ſarcotici erodētes. Hi autē ex ſelectiſſimis fiēt medicamētis pl⁹ minúsue tritis pro medica

menti præſcripti ſcopo, eoque ordine & diligentia, quo in tritura dictum eſt.

In vniuerſum autem, qui intrò aſſumendi ſunt pulueres, & qui in epithemata ingrediuntur, tenuiſsimè teri debent, quòd ex aromatibus & odoratis cóſtent, niſi quod interdum eos craſsius terere oportet, vt diatrion pipereon, & ſimiles, vt in eum, in quem pręſcribuntur, ſcopum vſui eſſe poſsint.

Reponi verò debent ſacculis coriacijs bene conſutis, aut vaſis vitreis diligenter clufis.

Singulis annis vt plurimùm renouari debent.

Qui foris applicandi ſunt, non neceſſe eſt tam tenuiter terantur, &, quòd frequenti in vſu nó ſint, neque magna eodem tempore copia opus ſit, primùm componi ſolent cùm ijs vtendum eſt, & ſecundum medici ſcopum. nihilominus tamen quoſdam vulgatiores, & magis probatos in Antidotarii libro ſecundo deſcribemus.

De Pilulis ſeu Catapotiis.

CATAPOTIA medicamenta ſunt quæ intra corpus aſſumuntur, in hoc magna ex parte confecta, vt corpus purgent & euacuent: apud Arabes verò, vt etiam ſenſus ſtupefaciant, & catarrhos tollant, veluti catapotia de cinogloſſa & ſimilia, tum etiam vt, tuſsim leniant.

Fiunt ex ſiccis medicamentis tenuiſsimè tritis, deinde cum ſuccis, aquis ſtillatitijs, aut aqua communi in maſſam redactis quæ papyro inuoluatur, deinde, vbi horum vſus erit, rurſus tritis, & cum ſucco aliquo in catapotia conformatis.

Seruari poſſunt, purgantia annum vnum; quæ verò opium acceperunt, duos, tres, & plures annos.

De Trochiſcis & Sieff.

VARIA ſunt trochiſcorum genera, quorum alij per ſe in corpus aſſumuntur; alij in compoſitiones aliorum medicamétorum recipiuntur, veluti paſtilli de

de vipera, & è ſcilla in theriacam: alij extra corpus applicantur, conſtantq́; ex metallicis, & hi vtiles ſunt vlceribus malignis, & oculorum morbis.

Ex eorum numero qui intra corpus aſſumuntur; alij ex aromatibus fructibus, herbis, & medicamentis quibuſdam purgantibus conſtāt, vt trochiſci de agarico, & de rhabarbaro: alij ad eorum compoſitionem opium requirunt. Fiunt ex medicamentis ſiccis tritis, vt dictum eſt, & cum aqua, aut decoctione, aut ſucco miſtis, donec ad eam craſsitiem reducantur, qualis eſt maſſa pilularum. Formantur autem in rotulas, vnde Græcis τροχίσκοι, Latinis paſtilli appellātur ab eorum forſitan figura. Siccantur in vmbra, & reponuntur vt in catapotijs dictum eſt. Durant annum vnum: & qui opium recipiunt, vt pilulæ opium recipientes.

Qui foris applicandi ſunt, cùm ex medicamentis conſtent quæ non facilè reſoluuntur, ſeruari poſſunt in annum vnum aut duos.

SIEFF Arabum nihil aliud quàm Græcorũ trochiſci & collyria ſunt, quorum diximus vſum eſſe in oculorum morbis; & ſola forma differunt.

In vtroque autem genere illud requiritur, vt medicamenta ex quibus conſtant ſint tenuiſsimè trita, ſupra omnia alia medicamenta.

De Oleis.

OLEA quorum in officinis vſus eſt, nunc è fructibus & ſeminibus exprimuntur: nunc fiunt ex oleo oliuarum in quod infuſæ herbæ aut flores ſint, & ſoli exponuntur, aut in duplici vaſe coquuntur.

Ex his ſimplicia vocantur, quę ex fructibus expreſſa ſunt ſine vlla alia admiſtione, aut quæ ex oleo conflata ſunt in quo macerati flores vnius generis inſolantur aut coquuntur.

Compoſita ea ſunt quæ multa medicamenta ſimplicia & odorata recipiunt, quæque plerunque igni parantur: hæc apud veteres vnguenta nuncupabantur,

tur,quòd reciperent aromata, & lachrymas, eaq́; de cauſa craſsiora reddebantur.

Rationem extrahendorum oleorũ ſupra diximus.

Cæterùm quæ ex fructibus & ſeminibus temporatæ qualitatis fiunt, quale eſt oleum amygdalarum, ſeſaminum,elici debent cùm horum vſus neceſſarius eſt:nã ſi antè extrahantur,nouas acquirũt qualitates.

Quæ ex fructibus frigidi & adſtringentis temperamenti parantur,vt ex lentiſco,myrto,ea durant annum vnum; pòſt contrarias facultates adipiſcuntur.

Quæ ex fructibus odoratis, vt ſunt nux moſchata & caryophylli, eliciuntur, ſemeſtri ſeruari poſſunt in ſua virtute.

Quę ex liquoribus,ſeminibus,& lignis calidis per alembicum extracta ſunt:tametſi recèns extracta,ſint præſtantiſsima,illorum tamen efficacia diu durat.

Olea ſimplicia fiunt maceratis in oleo oliuarum eiuſdem anni,floribus aut herbis,ita vt oleo integantur,frigidis quidẽ in oleo lauato,calidis verò in oleo puro: Deinde inſolantur per aliquot dies, vt præſcriptum eſt, & facta expreſsione valida flores abijciuntur, & recentes immittuntur, idq́ue ſæpius: aut coquuntur in duplici vaſe, donec flores immiſsi tenereſcant,deinde exprimuntur, recenteſq́ue inijciuntur, & coquuntur ſępius: id autem fit ob temporis anguſtiam, aut quia ſubitò eorum vſus requiritur, aut quia flores qui medicamentum ingrediuntur, non ſunt tam diuturni, vt macerari & inſolari poſsint quantum neceſſe eſt.Hæc autem annum durant.

Compoſita magna ex parte coquuntur, admiſta oleo,aqua,aut vino,aut infuſo,aut decoctione aliqua pro medicamenti præſcripti ratione: Coquuntur autem lento igne ex carbonibus conflato,donec omnis ferè humor qui admiſtus eſt conſumatur:aut coquuntur in vaſe duplici, quod præſtat. Seruantur in annũ. Omnia olea reponi debent vaſis vitreis ore anguſto

bene

bene obturato, aut figulinis vitratis.

De Vnguentis, Emplaſtris & Ceratis.

HAEC medicamentorum genera ſub alia appellatione Græcis deſcripta ſunt: nam vnguenta illis ſolùm vocabantur olea compoſita ex aromatibus, calore ignis aut Solis in eam conſiſtentiam redacta, vt his facilè vti poſſent in vnguendis corporibus.

Arabes ſub vnguenti vocabulo cærata græcorum, malagmata, & ex emplaſtris etiã nõnulla cõplectuntur, non tamen coquebant ea conſiſtentia qua Græci.

EMPLASTRA Græcis ſunt medicaméta, varia ſimpliciũ genera, & metallica præſertim recipiétia. Ea verò coquebantur donec manus amplius nõ inficerent, & Arabibus recétioribusq; cerota nuncupãtur.

Arabum verò emplaſtra ea ſunt quæ Græcis malagmata, cataplaſmata, & epithemata, ex herbis, floribus, farinis, oleis, & adipibus cõpoſita, quæ tam diuturnam coctionem non patiuntur atque emplaſtra; nam neque ſimplicia, ex quibus conflantur, neq; vſus, in quem parantur, id admittit.

CERATA veterũ, vt iam dictum eſt, ſunt Græcorum emplaſtra.

Græcorum cerata ex oleo & cera fiunt, admiſtis interdum quibuſdam odoratis. Quæ omnia medicamentorum genera, varia ſunt admodum, & in his regulam aliquam generalem præſcribere difficillimum. De eorum auté cõpoſitione in ſingulis medicamétis, quæ libro ſecundo deſcribentur, dicere præſtabit.

DELECTV itaque medicamentorũ facto, compoſitisque & repoſitis ijs medicamentorum generibus quæ frequentiori ſunt in vſu, & in quorum præparatione diutius eſt inhærendum, quàm vt ſubitò confici poſsint, (de quibus abundè in vniuerſum ſupra dictum eſt) Pharmacopœo in medicamentis ſuis exhibendis & propinandis diligenter hæc ſunt obſeruanda.

Primùm

Primùm,ne ſuo ex ingenio, aut incõſulto medico cuiquã propinet medicamentũ âliquod purgãs , aut quod ex opio conſtat, aut cuius vſus noxam adferre poſsit.

Deinde,vt,dum Medicus medicamentum aliquod præſcribet,attentè illũ præſcribentem audiat , medicamenq́; in codice in hunc vſum officinę parato prę-ſcribat, diligẽter adnotans & pondus & quantitatẽ, & exhibitionis modum atq; tempus : tum deſcriptũ medico perlegat, ne qua in re error aliquis committatur,qui hominis vitæ magnam poſsit adferre calamitatem,& perniciem.

Præterea,vt medicamenta præparata habeat: & ſi fortè contingat aliquod illi medicamentum deeſſe, quod nec ex ſua,nec ex alterius officina nãciſci poſ-ſit:ne illud negligat, aut aliud in eius locũ ſubſtituat inconſulto qui illud præſcripſit medico.

Denique, vt exquiſito pondere,& diligenti menſura facta medicamẽta diſſoluat,conformet, molliat, extendat,& reliqua inſuper in medicamentorũ vſum neceſſaria peragat : deinde ea ad ægrũ mittat,inſcriptis vnicuiq; medicamento,tẽpore,& vtendi modo, ijsq́; quę,ex medici preſcripto,ægro poſt medicamẽtum ſumptũ agenda ſunt: aut ipſe ægrũ adeat & illi porrigat,ſi potiones ſint moleſtę,aut alioqui medicamentũ quod pręparatũ diu ſeruari nõ poſsit,vt caſsia ſolutiua,manna,quæ primũ diſſoluendæ ſunt cùm ſumi debent,aut alioqui medicamẽta quæ magna cum difficultate applicantur,vt in pleriſque vſu venit.

ANTIDOTARII, SIVE DE COMPONENDORVM, MISCENDORVM'QVE MEDICAMENTORVM EXACTA RATIONE

Liber Secundus.

DE CONDITIS SIVE CONSERVIS, Sectio prima.

¶ *Diacydonium Galen.*

Recip. ſucci malorum cydoniorum ſtruthiorum, ſunt autem ea tenera, odorata, & mediç magnitudinis,
Mellis ana lib. iiij.
Aceti candidi lib. ij.
Coctis ſupra prunas modicè, & ſpuma detracta, adde
Zingiberis ℥. iij.
Piperis albi ℥. ij.
Dein rurſus lento igne recoquantur, donec mellis craſsitudinem conſequantur.

Fit etiam è ſucco malorum cydoniorum, cùm ſcilicet maior adſtrictio requiritur; & etiam ſine pipere, aut zingibere, vel ſaltem minori quantitate: præterea & alia aromata immitti poſſunt, pro rei exigentia.

* Vtile eſt tum ad excitendam appetentiam ijs quibus decocta eſt, tum ad ciborum concoctionem, & ventriculum roborat.

¶ Miua cydoniorum ſimplex, Meſuæ.

Recip.

Recip.ſucci cydoniorum lib.xx.
Vini candidi auſteri lib.x.
Coquuntur lento igni,ſemper deſpumando, ad tertiæ partis conſumptionem. Poſtquam reſederit,cola, & adde Sacchari lib.vi.
Iterum coquuntur ad iuſtam conſiſtentiam.

* Aduerſus alui profluuia bilioſa valet,ventriculum & cætera viſcera firmat,& vomitum reprimit.

¶Miua aromatica,Meſuæ.

Recip.ſucci malorum cydoniorum lib.xx.
Vini albi potentis lib.x.
Decoque igni lento ad tertias, ſemper deſpumando, reſideat,cola,& adde
Mellis deſpumati lib.vi.
Iterum coque deſpumando,& impone hęc aromata,

Cinnamomi	Maſtiches,
Cardamomi ana ʒ.iij.	Ligni aloës,
Caryophyllorum ʒ.ij.	Macis,ana ʒ.i.s.
Zingiberis,	Croci ʒ.ij.

Omnia præter crocum parum terantur, & nod[illegible]o ligata ſuſpendantur, identidem eum fricando in [illegible]o medicamento donec craſſeſcat. Tolle ab igne & [illegible]o-matiza
Moſchi ℈.i.
Trochiſcorum è Gallia moſch.ʒ.ij.

* Ventriculum,hepar,& cætera viſcera rob[illegible] petentiam excitat, concoctionem iuuat, [illegible] & lienteriam cohibet.

¶Diacydonium purgans,Meſuæ.

Recip.ſucci cydoniorum lib.iij.
Mellis albi lib.ij.
Coque continenter deſpumando, donec manus non inficiat,quæ forma eſt miuæ ſimplicis vſitatæ: deinde inijce ſequentia,
Scammonij in malo cydonio correcti ℥.i.s.
Galliæ bonæ,

Caryo-

Caryophyllorum,
Zingiberis,
Maſtiches,
Piperis longi,
Cinnamomi,
Nucis moſchatæ ana ʒ.iij.
Miſce ſimul omnia.

* Colico dolori,& alijs partium nutritoriarum morbis ſalubre eſt.

Aut

Recip.Scammonij ʒ.v.
Turbith ʒ.xij.

* Cholagogum erit ſimul & phlegmagogum.

Aut

Abiecto ſcammonio miſce turbith ʒ.xxv.
Cartami ʒ.v.

* Phlegmagogum ſolum erit.

* Sunt & nonnulli qui cum alijs medicamentis purgantibus cõponant,pro Medici ſcopo,& neceſsitate.

DE INFVSIS,ET DE COCTIS,

Sectio ſecunda.

¶Infuſum ſeri lactis,ſeu aquæ caſei,Meſuę.

Recip.foliorum roſarum recentium, cõpletarum, mundatarum ℥.ij.
Rhabarbari electi ʒ.ij.gr.xij.
Nardi indicæ ʒ.i.s.
Rhabarbarum,& roſæ minutim incidantur, aut terãtur,ſpica inciditur:macerentur per noctem in ſeri lactis,præſertim caprini lib.ij. Cola, leuiter exprime, & propina.

* Bilem flauã clemẽter educendo,ſanguinẽ purgat.

¶Infuſum ſucci herbarum,Meſuæ.

Recip.ſuccorum,intybi,

Lupuli,

Lupuli,
Bugloſsi,ſiue boraginis,purgatorum ana ℥.viij.
Myrobalani flauæ ℥.i. Tamar Indorum ℥.i.s.
Rhabarbari boni ʒ.iij. Pulpæ caſsiæ ſolutiuę ℥. iij.
Myrobalanus,& rhabarbarũ teruntur,& per noctem in ſuccis macerantur,deinde manu compreſſum colatur,& propinatur.

* Idem quod præcedens præſtat.

¶ Infuſum Hieræ,Meſuæ.

Recip.Hieræ ſ.
Aloës ana ʒ.v.
Macera decocto eupatorij infrà deſcripto ad lib.i.
In vaſe vitreo,inſola dies decem.

* Ventriculum & caput purgat, proinde amborum doloribus aſsiduis & hemicraniæ confert, ac febribus antiquis.

Macerantur etiam decocto epithymi; & thymi.

* Sic purgat humorem craſſum & melancholicum; & phlegmagogum eſt.

¶ Infuſum roſarum, & violarum;Meſuæ; Iulepis roſato & violato, ſyrupis item roſato & violato ſolutiuis conficiendus aptum.

Recip.roſarum completarum,repurgatarũ lib.vi.
Aquæ puræ lib.xv.
Ponantur roſæ in vrceo anguſti oris, dein infunde aquam calidam,macerentur per horas octo,obſtructo fictilis orificio, exprime leuiter, & cola infuſionem abiectis roſis:iterum inde recentes roſas, & infuſum excolatum calefac & infunde roſis, macerentur &c. vt ſuprà: idem fac tertio. Erit vſui in iulep roſato conficiendo.
Syrupo verò roſato ſolutiuo componendo, eodem modo,ſeptimo,& nono iterabitur infuſum: & vrceo anguſti oris impoſitum, inſolabitur dies quadraginta aliquantulo oleo ſuperinfuſo.
Similiter fit infuſum violarum,ad iulep violatum, & ſyrupum

ſyrupum violatum laxatiuum.

¶Decoctum adianti, ſeu capillorum Veneris, Meſuę.

Recip. adianti veri recentis ℥.i.s.
ſummitatum fumariæ,
ſummitatum lupuli,
Violarum ſiccarum ana ℥.i.
Pruna hiſpanica aut damaſcena xl.
Zizypha, x. iuiubas. xx.
coque libris tribus aquæ lento igni, ad duarum librarum conſumptionem.
Infunde tandem pulpæ caſsiæ ſolutiuæ ℥.iij.
Tamar Indorum ℥.ij.
Mannæ ℥.i.
Rhabarbari boni ℥.iij.
Frigidum manibus frica, cola, & propina.

* Sanguinem purgat, clarumq; reddit, ardoremque ipſius ac flauæ bilis compeſcit.

¶Aqua fructuum, Meſuæ.

Recip. pruna xl.
Sebeſten, ſiue myxa,
Iuiubas ana. xxx.
Tamar Indorum ℥.ij.
Caſsię recẽs extractę ℥.iij.
Mannæ ℥.i.
Macerentur fructus in aquæ lib. iij. deinde adde caſſiam, tamar Indos, & mannam, fiat vt ſuprà.

* Sanguinis & bilis flauæ feruorem reprimit, ſanguinem clarum reddit, & bilem clementer educit.

¶Decoctum fumariæ, Meſuæ.

Recip. ſuccorum cichorij,
Intybi, ſiue endiuiæ,
Lupuli,
Boraginis, ana ℥.iiij.
Succi fumariæ ℥.viij.
Quibus coctis, & purgatis adde
Myrobalanorum flauarum indarum, ana ℥.ij.
Paſſarum purgatarum ℥.i.
Tamar indorum ℥.iij.
Frica, cola, & ſerua.

igne & adde

Hellebori nigri ʒ.i. Salis indi ℥.i.s.

Agarici ʒ.s. Frica, cola, vtere.

* Bilem atram vacuat, ob id affectibus melancholicis, vt cancro, elephantiaſi, & cæteris confert.

¶ Decoctum Myrobalanorum, Meſuæ.

Recip. Myrobal. flauarũ, Comarũ fumariæ ʒ.viij.

Cepularum, Abſinthij ʒ.ij.

Indarum ana ℥.i. Pruna xxx.

Tamar indorum ℥.i s. Paſſarum purgatarũ ℥.i.

Coque in libris tribus aquæ, ad duarum librarũ conſumptionem: cùm imbecillũ voles medicamentum, reliquæ libræ dimidio adde pulpæ caſsiæ ℥.ij. cùm autem valentius,

Pulpæ caſsiæ ℥.i. Agarici ana ʒ.s.

Turbith, Frica, cola.

Præſtantius fiet ſi in ſero lactis caprini coquantur.

* Bilem vtramque, & pituitam purgat.

¶ Decoctum ſtœchados, Meſuæ.

Recip. ſtœchadis, Schœnanthi,

Origani cretici ana ʒ.iiij. Hyſſopi ana ʒ.ij.

Seminum, apij, Paſſarũ purgatarũ ℥.viij.

Fœniculi, Turbith ʒ.iiij.

Eupatorij Meſuę ana ℥.iij. Coque vt ſuprà, & vtere.

* Confert pituitoſis affectibus, vt febribus quotidianis, iuncturarum & neruorum dolori, & frigidæ intemperiei.

¶ Decoctum Eupatorij, Meſuæ.

Recip. Eupatorij, Comarũ fumarię añ.℥.iiij.

Abſinthij, Bedeguar,

Aſari, Secacul ana ʒ.iiij.

Nardi indicæ, Myrobalanorũ cepularum

Adiãti, hoc eſt capil. ven. Indarum ana ʒ.viij.

Ciperi, Paſſarũ purgatarum ℥.i.

Rhabarbari, Coque & vtere.

* Hepatis & lienis obſtructionem, & inde naſcen-

tes dolores & febres compoſitas iuuat.

¶Decoctum Magiſtrale commune, ad Medicamenta maceranda.

Recip. pruna xij.	
Sebeſten x.	Polypodij,
Paſſarum ℥.i.	Epithymi,
Hordei decorticati ℥.s.	Cartami,
Glycyrrhizæ repurgatæ	Aniſi,
Violarum,	Dauci,
Folliculorum ſenæ,	Cinnamomi ana ʒ.ij.

Coque in aquæ communis lib.ij. donec dimidium abſumatur, cola, & vtere.

¶Decoctum Magiſtrale refrigerans.

Rec. pruna xij. Hordei mundati ℥.i.
Tamar indorum, Violarum,
Paſſarum añ.℥.s. Seminũ cõmuniũ maiorũ añ.ʒ.ij.
Coque in libris duabus aquæ, vt ſuprà.

¶Decoctum Cordiale.

Recip. pruna xij.	Violarum,
Paſſarum ℥.i.	Meliſſophyli,
Sebeſten xvi.	Capillorũ veneris añ. M.s.
Iuiubas x.	Seminis baſilici,
Florum { boraginis,	Glycyrrhizæ,
Florum { bugloſsi,	Dauci ana ʒ.ij.

Coque vt ſuprà.

Decoctum verò cordiale refrigerans fit additis ſeminibus communibus, iiſque ſeminibus quæ decoctum refrigerans ſuprà deſcriptum ingrediuntur.

¶Decoctum Cephalicum calfaciens.

Recip. ſtœchadis,	Glycyrrhizæ,
Betonicæ,	Aniſi,
Saluiæ ana. M.s.	Dauci ana ʒ.iij.
Radicum pœoniæ ʒ.ij.	Nucis moſchatæ ʒ.s.
Paſſarum ℥.i.	Coque vt ſuprà.

Cùm mitigare voles, addes
Hordei purgati ℥.i.

Tamar

Tamar indorum ℥.s.
Seminum communium maiorum ana ʒ.ij.

¶Decoctum Pectorale.

Recip.paſſarum ℥.i.
Sebeſten,
Iuiubas ana xv.
Dactylos vi.
Hordei purgati ℥.i.
Glycyrrhizæ ℥.s.
Adianti M.s.
Hyſſopi ʒ.ij.
Coque vt ſuprà.

¶Decoctum flatus pelleus,ſeu Carminatiuum vt vocant.

Recip.aniſi.
Dauci,
Cymini,
Fœniculi ana ʒ.iij.
Glycyrrhizæ ℥.s.
Florum chamæmeli M.s.
Paſſarum ℥.i.s.
Coque vt dictum eſt.

DE SAPIS SEV ROB, IVLEPIS, ET SYRVPIS,

Sectio tertia.

¶Diamoron,Galeni.

Recip. ſucci mororum domeſticorum lib.v.
Mellis lib.i.

Clarificatur primùm ſuccus, dein vnà cum melle coquitur ad iuſtam conſiſtentiam, & ſeruatur in vſum. Fit etiam è ſucco mororum batinorum.

Diamoron compoſitum, Galeni præter ſuprà dicta,recipit
Myrrhæ
Croci ana ʒ.i.s.
Omphacij,agreſtam vocant, ℥.i.
Coquitur omphacium cum ſucco & melle : myrrha verò & crocum ſub finem immittuntur, cùm ſcilicet ab igne medicamentum tollitur.

* Contra depaſcentia oris vlcera, ad dentium affe-

ctus,& gingiuarum noxas vtilia ſunt, atque ad omnia oris vitia.

¶Diamoron vſitatum Nicolai.

Recip.ſucci mororum batinorum lib.i.
Succi mororum domeſticorum lib.s.
Mellis lib.s.
Sapæ ℥.iij.
Coquuntur lento igne,ad mellis ſpiſsitudinē,ſerua.

* Idem quod ſuperiora præſtat.

¶Diarhæon,Galeni.

Recip.ſucci malorum granatorum,acidorum, dulcium,&
acidodulcium ana lib.s.
Mellis lib.i.
Coquitur ſuccus ad mellis conſiſtentiam,deinde addito melle iterum coquitur & ſeruatur.

* Intemperiem calidam tollit, vomitum compeſcit & alui fluorem,& ventriculum roborat.

¶Diacaryon Galeni,tale eſt & Meſuæ.

Recip.ſucci corticum viridium iuglandium, diebus canicularibus extracti lib.iiij.
Mellis lib.ij.
Coque vt ſuprà.
Aliqui ſumunt mellis partē vnam, ſyrupi roſati partem vnam,& balauſtia addunt, aliaque ſimplicia pro rei neceſsitate.

* Deſtillationi tenuium & acrium humorum à capite,& phlegmonem excitantium,confert.

¶Iulepum roſatum Meſuæ,quod & ſyrupus roſarum recens.

Recip.aquæ,in qua roſę tertiò ſunt maceratę, ℔.v.
Sacchari lib.iiij.
Coquuntur lento igne vt ſuprà.

* Febricitantiū acutè ſitim inexpletam ſedat, ventriculi,cordis,& iecoris æſtum mitigat.

Eodem modo fit iulepū ex infuſionibus violarum;

Com-

Componitur etiam vtrunque ex aqua ſtillatitia, & ſucco roſarum & violarum: exempli gratia.

Sumuntur roſarum aut violarum aquæ ſtillatitiæ, aut ſucci lib.iij. Sacchari lib.ij.

Coquuntur vt ſuprà.

Eadem ratione compoſitum eſt Rhodoſtacton Pauli è melle & ſucco roſarum.

¶Hydromelum Pauli.

Recip. ſucci malorum cydoniorum lib.iiij.
Mellis lib.vi.
Aquæ lib.viij.
Coque in modum iulepi.

* Aduerſus alui profluuia bilioſa valet, vẽtriculum firmat, & ventriculum cohibet.

¶Hydromelon aliud Pauli.

Recip. malorum cydoniorum purgatorum conciſorum lib.v. aquæ fontanæ lib.xiij.
Coquito donec flaccida fiant, cola, & ad ipſam aquã mellis deſpumati tantundem admiſceto, rurſusq; coquito donec octaua pars fuerit conſumpta.

* Idem poteſt quod præcedens.

¶Hydroroſatum Pauli.

Recip. roſarũ ablatis vnguibus, ſiue purgatarũ ℔.iiij.
Aquæ lib.viij.
Mellis lib.vi.
Coque deſpumans in iulepi modum, cola, & ſerua.

* Siticuloſis in febre ardente, & exolutis ac ſtomacho male habentibus conuenit.

¶Apomeli ex Philagrio, D. Pauli

Recip. fauorum melle plenorum alborum lib.i.
Aquæ fontanæ lib.iij.s.
Mel expreſſum in fictili coquito, donec ſpuma & quod velut ceroſum ſupernatat ablatum fuerit, tunc diligenter vaſis bene obturatis reponito.

* Sputum educit, mouet vrinas, aluum emollit, & humores attenuat.

¶Aqua mulſa.

Recip.mellis lib.i.
Aquæ pluuiæ lib.viij.
Coque lento igne, donec amplius nõ ſpumet, vtere. Augetur quandoque mellis quantitas,& decoquitur ad iulepi conſiſtentiã, nempe quando à Medico præſcribitur, aut quòd ita illi viſum eſt, aut quòd diutius ſeruanda ſit: & aromatizatur cinnamomo, folijs ſaluiæ,& ſimilibus, prout vſus poſtulat.

* Affectus frigidos cerebri, neruorum,& iuncturarum iuuat, ſitim ſedat, puris & pituitæ craſſæ expectorationem promouet, colicis prodeſt,& calculum in meatibus vrinæ gigni prohibet.

Aqua pectoralis fit his additis quæ decoctum pectorale ſuprà deſcriptum ingrediuntur.

¶Oxymeli ſimplex Galeni.

Recip.mellis deſpumati lib.ij.
Aceti albi lib.i.
Coquuntur donec qualitates aceti & mellis probè permiſtæ ſint, hoc eſt ad quartam partem.

Meſues addit
Aquæ fontanæ lib.i.
Coquitque ad dimidias.

Fit etiam acetoſius, aut minus acetoſum, pro eius palato cui præſcriptum eſt.

Fit etiam oxymeli imbecillius addita aqua, ab Arabibus ſecheniabin nuncupatum, hoc modo.

Mellis lib.ij.
Aquæ fontanæ lib.iiij.
Coquuntur ſimul, donec probè deſpumata ſint; deinde addita Aceti lib.i.
Iterum coquuntur, donec eorum qualitates planè vnitæ fuerint.

Interdum mel, aqua, & acetum eodem momento permiſcentur, decoquunturque ad quartam, aut tertiam partem.

* Humo-

* Humores craſſos, lentos,ac pituitoſos incidit,extenuat, & abſtergit,obſtructiones aufert,ſputũ educit,& ſitim ſedat.

¶Oxymeli compoſitum.*

Recip. corticum radicum eleoſelini,(apium vulgare intelligit)

Fœniculi,	Seminis apij vulgaris
Petroſelini,	Fœniculi ana ℥.i.
Aſparagi,	Aquæ lib.xij.
Ruſci ana ℥.ij.	

Coque donec dimidium abſumatur, Colaturæ adde Mellis deſpumati lib.iij.

Aceti lib.i.

Rurſus coquito ad tertias.

* Humores craſſos & pituitoſos incidit,& extergit: ob id iecoris, lienis, & renum obſtructiones tollit: vrinam mouet,ſudoremque euocat.

¶Oxymeli ſcilliticum Meſuæ.

Recip.mellis deſpumati lib.iij.

Aceti ſcillitici lib.ij.

Coquuntur vt prædicta.

* Humores craſſos, lentos,frigidos eradicatu difficiles extenuat, incidit & abſtergit,ideoque ad ciendum vomitum efficax, ructum acidum ſanat, & vrinæ incontinentiam.

Oxymeli ſcilliticum compoſitum, fit vt oxymeli compoſitum.

¶Acetum ſcylliticum Meſuæ,quale eſt & Galeni.

Recip.ſcillæ candidæ,mediæ magnitudinis, laminas inter corticem & cor medias,acu lignea filo traiectas tanto interuallo ne ſe contingant, ſiccabis in vmbra dies 40. poſteà conciſam cultello ligneo, lib. vnam inſolabis in aceti boni lib. viij. in vaſe vitrato anguſti oris,bene obſtructo, dies alios 40.caniculares,poſteà frica,& cola.

Nicolaus ſcillæ ſumit pane inuolutæ, & in clibano

nõ coctæ lib.i.s.
Aceti acerrimi lib.vij.
& in vaſe vitrato per dies 40. inſolat.

* Efficaciſsimum eſt ad cerebri affectus frigidos, & curatu contumaces, epilepſiam & vertiginem: gingiuas laxas, & putreſcentes ſanat, dentes confirmat, oris odorem cõmendat fœtore illius diſsipato: partes reſpiratorias iuuat & expurgat, & guttur roborat, ob id vocem clariorem efficit. Datur ſtomachicis, ægrè cibum concoquentibus, concoctionẽ enim iuuat, hepar & lienem expurgat eorumq́ue dolorem leuat. Inteſtinorum & veſicæ retentricem vim firmat, vuluarum ſtrangulationibus & iuncturarũ affectibus prodeſt. Admodum imbecillos recreat, corpus ſanum reddit, bonumq́; colorem conciliat.

¶Syrupus acetatus ſimplex Meſuæ.

Recip. aceti potentis lib.iij
Sacchari aqua ſecundum artem clarificati lib.v.
Coquito in vaſe lapideo aut figulino bene cocto vitrato & fit Syrupus.

* Affectibus bilioſis, febribus maximè auxiliatur, quia bilem tenuitate & caliditate furioſam frangit & extinguit: humores autem craſſos tenuat, incîdit, obſtructiones aperit, vrinas mouet ac ſudores.

¶Syrupus acetatus cum radicibus Meſuæ.

Recip. aquæ fontanæ lib.x. Seminum apij.
Radicum apij, Fœniculi,
Fœniculi, Aniſi ana,
Intybi ſeu endiuiæ ana ℥.iij. Endiuiæ ana ℥.i.
Coquantur lento igne ad dimidias, Calaturæ adde
Sacchari repurgati lib.iij.
Aceti albi lib.ij.
Coquito in ſyrupi conſiſtentiam.
Fit etiam ſine aceto.

* Bilẽ craſſam & auulſu difficilẽ ac pituitã incîdit, terget, obſtructiones hepatis, lienis, & renũ aperit.

¶Syru-

¶Syrupus de quinque radicibus.

Recip.radicum apij, Ruſci,
Fœniculi, Aſparagi ana ℥.ij.
Petroſelini, Aquæ fontanæ lib.vi.
Coque ad tertiæ partis conſumptionem: expreſſum coquitur cum ſacchari lib.iij. addendo ad finē aceti albi ℥.viij.

*Prædicto efficacior, ad ſyrupi Bizantini vires proximè accedens.

¶Syrupus acetatus diarhodon Meſuæ.

Recip.ſuccorum intybi, Roſarum ſiccarum ℥.i.
Apij, Glycyrrhizæ ℥.s.
Lupuli ana lib.ij.s. Nardi indicæ ʒ.ij.s.
Radicum intybi, Seminum aniſi,
Apij, Fœniculi,
Fœniculi ana ℥.ij. Apij ana ʒ.vij.
Macerata in aquæ lib. vi. coque ad duarum partium conſumptionem, deinde cum
Sacchari lib. iij.
Aceti lib. ij.
fiat ſyrupus.

*Ad febres complexas, & eas quæ formam corporis corrumpunt vtilis eſt, obſtructiones hepatis & lienis aperit.

¶Oxyſacchara ſimplex Nicolai.

Recip.ſacchari albi lib.i.
Succi malorum granatorum acidorum ℥.viij.
Aceti ℥.iiij.
Coquuntur ad iuſtam conſiſtentiam.
Nonnulli, âceti loco, vinum malorum granatorúm ſumunt.

*Confert ad febres tertianas, tertianas duplices, ardentes & hecticas.

¶Oxyſacchara compoſita Nicolai.

Recip.adianti ſiue capillorum veneris
Phyllitidis, ſiue linguæ ceruinæ,

Cete-

Ceterach, id eſt aſpleni, Radicum fœniculi,
Polytrichi, Ruſci,
Hepaticę, Aſparagi,
Violarum, Graminis ana lib.i.

In vino ſiue ſucco malorum granatorum omnia triduum macerato, deinde percoquito, forti expreſsioni addito ſacchari quod ſatis eſt. Coquito ſecundum artem.

* Concalefacta corpora potum iuuat, longis febribus quas ſanguis aut bilis creauit, & calori iecoris auxilio eſt, & lienis obſtructiones tollit.

¶ Syrupus acetoſitatis citri Meſuæ.

Recip. ſucci citriorum acidi lib.vi.
Sacchari lib.iiij.
Coquantur ſecundum artem.

* Aeſtum ac feruorem bilis flauæ, febriumque ardentium, & peſtilentialem mitigat, ſitim quoq; vehementem reſtinguit, ebrietati reſiſtit, vertiginemq; iuuat.

¶ Syrupus acetoſitatis limonum.

Recip. ſucci acidi limonum maturorum tranſcolati lib.vi.
Sacchari albi lib.iiij.
Coque vt artis eſt.

* Præcedente magis refrigerat & penetrat, Cor & ſtomachum roborat, putrefactioni reſiſtit, & ſpiritus reſolui prohibet.

¶ Syrupus Biſantinus ſimplex Meſuæ.

Recip. ſuccorum endiuiæ,
Apij, ana lib.ij. Boraginis,
Succorum lupuli, Bugloſsi ana lib.i.
Feruefiant ſemel, purgentur
eius ſucci clarificati lib.iiij.
Sacchari albi lib.ij.s.
Coquito lento igne, & fiat ſyrupus.

Interdum ad ſingulas ſucci clarificati libras, aceti

ti ℥.vi.adduntur.

* Compoſitus fit hunc in modum.

Adduntur prædictis

Roſarum aridarum ℥.ij. Seminum aniſi,
Glycyrrhizæ ℥.s. Apij,
Nardi indicæ ʒ.ij. Fœniculi ana ʒ.iij.

Bulliant cum prædictis ſuccis, Colaturæ adde ſaccharum.

* Humores craſſos & lentos incidit atq; extenuat, obſtructiones aufert, morboque regio ſuccurrit. Compoſitus ad hæc omnia efficacior eſt.

¶Syrupus roſatus ſolutiuus.

Recip. infuſionis roſarum ſecundum artē nonùm iteratæ lib.x.

Sacchari tantundem.

Coquuntur in ſyrupi conſiſtentiam.

Nonnulli cum melle conficiunt.

* Bilem purgat.

¶Syrupus roſatus è roſis ſiccis.

Recip.infuſionis roſarum aridarum,

Sacchari albi ana lib.ij.

Percoquuntur ſecundū artem ad ſyrupi conſiſtentiā.

* In febribus calorem extinguit: ob id ſitim quoq; ſedat,& ventriculum roborat.

¶Syrupus violatus ſolutiuus.

Recip.infuſionis violarum nonùm iteratæ,

Sacchari clarificati ana lib.v.

Coquuntur lento igne ad ſyrupi conſiſtentiam.

* Ad eadem efficax ad quæ roſatus ſolutiuus.

¶Syrupus è ſucco violarum.

Recip.ſucci violarum in mortario marmoreo contuſarum depurati lib.iiij.

Sacchari clarificati tantundem.

Coquuntur lento igne ad iuſtam craſsitudinem.

* Bilis acrimoniam frangit, ac thoracis vitiis calidis confert.

¶Syru-

¶Syrupus violatus Meſuæ.

Recip.violarum ℥.ij.
Seminum cydoniorum, &
Maluæ ana ℥.i. Iuiubas,
Sebeſten ana xx. cum aquæ cucurbitæ lib.vi.
Coque ad tertiam partem, & addita
Sacchari lib.i.s. Fiat ſyrup.ſecundum artem.
* Pleuritidi & tuſsi à cauſa calida prodeſt.

¶Syrupus Endiuiæ ſimplex.

Recip.ſucci endiuiæ clarificati & depurati lib.vij.
Sacchari optimi libras totidem.
Coque lento igne in formam ſyrupi.
* Valet ad immodicum calorem hepatis, aliorumq́; membrorum nutritiuorum: in morbo laterali maximè conuenit.

Syrupus è cichorio eodem modo fit quo endiuię, ſimiliter & ſyrupus è fumaria, reliquique ſyrupi ſimplices ex ſuccis herbarum compoſiti, vt ſuperiori libro dictum eſt cap.de Syrupis.

¶Syrupus Endiuiæ compoſitus.

Recip.endiuiæ recentis,
Boraginis, Meliſſæ,
Scariolæ, Eupatorij ana.M.i.
Hepaticæ, Seminum frigid.maiorum ana ℥.i.
Bugloſſæ, Sandalorum albi, rubri ana ʒ.i.
Florum cordialium ana ʒ.iij.
Coquãtur ſecundum artem in aqua, cola, & colaturæ adde
Succi endiuiæ depurati lib.v.
Vini granatorum ℥.iij.
Sacchari albi lib.iiij.
Fiat Syrupus ſecundum artem.
* Alia exẽplaria habent ſucci endiuiæ depurati ℔.i.

¶Alius ſyrupus Endiuiæ compoſitus, Gentilis; qui in vſu eſt.

Recip.ſucci endiuiæ,

Succi hepaticæ ana lib.iij.
Clarificatis ad ignem, adduntur

Violarum,	Florum nymphea,
Roſarum rubrarum,	Lenticulæ aquaticæ,

Trichomanis, vulgò polytrichi ana ℥.s.
Capill. Veneris, hoc eſt adianti,
Hordei mundati,
Seminum frigidorum maiorum ana ℥.i.
Contuſa & horas xij. in dictis ſuccis macerata coquuntur, & colaturæ adduntur
Sacchari albi lib.iij.
Fiat ſyrupus: & aromatizetur cum
Santalorum { rubrorum, alborum,

Berberis,	Ligni aloës,
Seminum cydoniorum,	Cinnamomi,

Corticum citri ana ʒ.i.
Tunde & aromatiza ſecundum artem.

*Valet vterq; ſyrupus compoſitus endiuiæ ad immodicum iecoris, cordis & aliorum nutritioni ſeruientium inſtrumentorum calorem, in ſumma ad omnem calidam intemperiem. Soluit obſtructiones & partes à calore debilitatas roborat.

¶Syrupus de Cichorio compoſitus Nicolai Florẽtini.

Recip. intybi ſeu endiuiæ domeſticæ & ſylueſtris.

Cichorij,	Glycyrrhizæ,
Taraxacon ana M.ij.	Capillorum Veneris,
Cicerbitæ,	Ceterach.i.aſpleni,
Hepaticæ,	Adianthi,
Lactucæ,	Polytrichi,
Scariolæ,	Cuſcutæ ana ʒ.vi.
Fumariæ,	Radicum fœniculi,
Lupili ana M.i.	Apij,
Hordei ℥.ij.	Aſparagi ana ℥.ij.
Veſicariæ.i.alkekangi,	

Co-

Coquantur in ſufficiēti aqua & percolentur, & cum ſaccharo albo fiat ſyrupus : pro ſingulis libris inter coquendum adde
Rhabarbari electi ʒ.iiij.
Spicæ nardi ℈ iiij.
Tunduntur & in nodulo ligata ſuſpenduntur in vaſe in quo ſyrupus iam coctus reſeruatur, ac ibi relinquuntur.
* Confert aduerſus omnem materiam venenatam, & in febre peſtilentiali. Corroborat cor, & inſtrumenta nutritioni famulantia, expurgat per vrinas & aluum, excitat appetentiam, & ſomnum inducit.

¶Syrupus è fumaria compoſitus Meſuæ.

Recip. myrobalanorum flauarum,

Cepularum ana ℥.ij.s.	Epithymi,
Florum boraginis,	Polypodij ana ʒ.vij.
Bugloſſæ,	Pruna C.
Violarum,	Vuarũ paſſarũ purgatarũ ℔.s.
Abſinthij,	Tamar indorum,
Caſſuthæ ana ℥.i.	Pulpæ caſsiæ ana ℥.ij.
Glycyrrhizæ,	Aquæ communis lib.x.

Roſarũ rubrarũ ana ℥.s.
Omnia præter caſsiã & tamar indos lento igne percoquuntur ſecundum artem, & colãtur : in colatura diſſoluuntur ipſa caſsia & tamarindi; deinde additis
Succi fumariæ depurati,
Sacchari albi ana lib.iij.
Rurſus coquuntur in formam ſyrupi.
*Ventriculũ & hepar roborat, obſtructiones aperit, cutis morbos, præcipuè ab humore ſalſo vel vſto natos, vt pſoram, lepram impetiginẽ, ſerpiginẽ curat.

¶Syrupes de Lupulo.

Recip. ſucci lupuli depurati lib.iiij.
Succi fumariæ depurati lib.ij.
Sacchari lib.vi.
Fit ſyrupus ſecundum artem.

*Re-

* Refrigerat,& collectionum impetus lenit, bilem ictero laborantibus detrahit, pituitam in hydrope per aluum exigit.

¶Syrupus myrtinus ſimplex Meſuæ.

Recip.ſucci baccarum myrti depurati lib.viij.
Sacchari clarificati lib.iiij.
Fiat Syrupus ſecundum artem.

* Ventriculũ & viſcera alia roborat, ob id fluorem alui antiquatum ſiſtit & ſitim mitigat.

¶Syrupus myrtinus compoſitus.

Recip.baccarum myrti ʒ.xx.
Santali albi, Berberis ana ʒ.xv.
Sumach.i.Rhois, Meſpilorum ʒ.l.
Balauſtiorum, Aquæ fontis lib.viij.
Omnia coque ad medietatem,cola, colato adde
Succi granatorum,
Succi cydoniorum ana lib.s.
Sacchari lib.iij. & confice ſyrupum.

* Profluuium ventris etiam diuturnum ſiſtit, & ſanguinis excreationem cohibet.

¶Syrupus è Iuiubis Meſuæ.

Recip.iuiubas nu.lx. Seminum cydoniorum,
Violarum, Papaueris albi,
Seminis maluæ ana ʒ.v. Melonis,
Capillorum Veneris, Lactucæ,
Hordei mundati, Tragacanthi ana ʒ.iij.
Glycyrrhizæ ana ℥.i.
Coquantur in aquæ fontanæ ſufficienti quantitate, & cum ſacchari lib.duabus fiat ſyrupus.

* Confert raucitati,tuſsi & pleuritidi.

¶Syrupus è Glycyrrhiza Meſuæ.

Recip.glycyrrhizæ ℥.ij. Hyſſopi ℥.s.
Capillorum Veneris ℥.i. Aquę pluuię lib.iiij.
Macerentur horis xxiiij. coque ad dimidias, colaturæ adde
Mellis deſpumati,

Sacchari clarificati,
Penidiorum alborum ana ℥.viij.
Aquæ roſarum ℥.vi. Fiat ſyrupus ſecundum artem.
*Thoracem & pulmonem expurgat, ideoque diuturnæ tuſsi, & pleuritidi auxiliatur.

¶Syrupus Capillorum Veneris ſimplex.

Recip. infuſionis capillorum Veneris recentiũ ter factæ ſecundum artem lib.iij.
Sacchari albi lib.ij. Coque, fiat ſyrupus.

¶Syrupus Capill.Ven. compoſitus Magiſtralis.

Recip. capill. Veneris ℥.v.
Glycyrrhizæ raſæ ℥.ij.
Macerentur in aqua horas xxiiij. deinde coque ad dimidij conſumptionem: colaturæ adde
Sacchari clarificati, Penidiorum,
Aquæ capillorum Ven. ana ℥.viij.
Coque, fiat ſyrupus.
*Valent ad thoracis affectus calidos, & viſcerum obſtructiones.

¶Syrupus è corticibus Citri.

Recip. corticum citri recentium lib.i.
Chermes ʒ.ij.
Aquæ fontanæ lib.x.
Coquuntur ad duarum tertiarum conſumptionem, & percolantur: colaturæ adduntur
Sacchari clarificati lib.ij.ß.
Fiat ſyrupus ſecundum artem, & aromatizetur cum moſchi Orientalis G.iij.
*Cerebrum, cor, ſtomachum roborat, & oris gratiam commendat.

¶Syrupus de Mentha maior Meſuæ.

Recip. ſucci pirorum cydoniorum,
Sruthiorum,
Granatorum dulcium,
Granatorum acidorum,
Granatorum mezorum ana lib.i.ß.

H In

In quibus,horas 24. macera
Menthæ ſiccæ lib.i.s.
Roſarum rubrarum ℥.ij.
Coque igni lento ad dimidias,& cola,colaturę adde
Mellis,ſiue Sacchari lib.ij.
Fiat ſyrupus vt artis eſt,& cum ſeponitur,aromatiza
Galliæ moſchatæ ʒ.iij. nodulo ligatis & ex orificio vaſis ſuſpenſis.

*Ventriculum frigidum roborat, ob id nauſeam, vomitum,ſingultum,fluorem alui ſedat.

¶Syrupus de Mentha minor Meſuæ.

Recip.ſucci menthæ depurati,
Granatorum dulcium,
Granatorum acidorum ana lib.i.
Sacchari,aut Mellis lib.i.
Fiat ſyrupus ſecundum artem.

*Eandem ferè cum ſuperiore facultatem habet.

¶Syrupus de Abſinthio M.

Recip.abſinthij Romani lib.s.
Roſarum rubrarum ℥.ij.
Spicæ nardi ʒ.iij.
Vini albi,veteris,boni,odori,
Succi cydoniorum ana lib.ij.s.
Maceratur in vaſe vitrato per noctem vnam, deinde decoquantur vt artis eſt,colaturæ adde
Mellis lib.ij. Fiat ſyrupus.

*Ventriculum & hepar roborat, ob id appetētiam excitat,retentricem vim firmat: contra regium morbum prodeſt, flatus diſcutit, humoreſque per vrinam pellit.

¶Syrupus de Calamintha eiuſdem.

Recip.calaminthæ montanæ,
Calaminthæ domeſticæ ana ℥.ij.
Seminum leuiſtici,
Dauci,
Schœnanthi ana ʒ.v.

Paſſarũ purgatarum lib.s. Aquæ quantum ſatis eſt,
Mellis lib.ij. Fiat ſyrupus.
* Aſthma, tuſsim antiquam, intemperiem viſcerum frigidam, & ſplenicos iuuat.

¶Alius eiuſdem.

Recip. ſucci calaminthæ,
Granatorum acidorum
Vini albi odori ana lib.iiij.
Coque ad dimidias, & clarificato adde
Sacchari albi lib.iiij.
Fiat ſyrupus vt artis eſt, & aromatiza
Galliæ moſchatæ ℥.ij.
* Singultum, & vomitum à pituita vel bile flaua craſſa ſedat.

¶Syrupus de Epithymo Meſuæ.

Recip. epithymi ʒ.xx.
Myrobalan. flauarum,
indarum ana ʒ.xv.

Caſſuthæ,	Agarici.
Fumariæ ana ʒ.x.	Stœchadis, ana ʒ.vi.
Thymi,	Roſarum rubrarum,
Bugloſſæ,	Fœniculi,
Calaminthæ,	Aniſi ana ʒ.ij.s.
Myrobal. emblicarum,	Pruna nu.xx.
bellericarum,	Paſſarũ purgatarum ℥.iiij.
Glycyrrhizæ,	Tamar indorum ℥.ij.s.
Polypodij,	Aquæ quod ſatis eſt,

Bulliant ſecundum artem: colaturæ adde
Sacchari lib.iiij.
Sapæ lib.ij. Fiat ſyrupus.
* Atram bilem, & alios humores vſtos vacuat, ob id morbos ex his naſcentes, elephantiam, cancrum, vlcera maligna, fiſtuloſa, lepram pſωραm, præcauet; curatque.

¶Syrupus de Praſsio Meſuæ.

Recip. marrubij, hoc eſt, praſij ℥.ij.

Capil-

Capillorum Veneris,	Lini,
Hyſſopi,	Iridis ana ℥.iij.
Calaminthæ,	Seminum cydoniorum ℥.ij.
Aniſi ana ℥.vi.	Vuarũ paſſarũ purgatarũ ℥.ij.
Radicum apij,	Ficus paſſas pingues nu.xvi.
Fœniculi ana ℥.v.	Penidiorum,
Seminum maluæ,	Mellis ana lib.ij.
Fœnigræci,	Aquæ quod ſufficit,

Fiat ſyrupus.

*Thoracem & pulmones expurgat pituita craſſa, lenta, putri; hinc aſthmati, & antiquæ tuſsi prodeſt, quales affectus ſenibus & natura frigidis ſunt frequentes.

¶ Syrupus de Hyſſopo Meſuæ.

Recip. hyſſopi ſicci,	Capillorum Ven. ℥.vi.
Radicum apij,	Iuiubas,
Fœniculi,	Sebeſten ana nu.xxx.
Petroſelini,	Paſſarũ purgatarũ ℥.i.s.
Glycyrrhizæ ana ℥.x.	Ficus paſſas pingues,
Hordei mundati ℥.iiij.	Dactylos pingues añ.nu.x.
Seminum maluæ	Penidiorum alborũ lib.ij.
Cydoniorum ana ℥.iij.	fiat ſyrupus.

*Ad vitia thoracis & pulmonis efficax eſt, humoresque excreatu contumaces extenuat & educit.

Syrupus de Stœchade ſimplex.

Recipit florum ſtœchadis ℥.xxx.

Thymi,	Aniſi ℥.vij.
Calaminthæ,	Paſſarum purgatarum ℥.iiij.
Origani añ.℥.x.	Aquæ quod ſatis eſt.

Coquantur ſecundum artem, & colaturæ adde Mellis lib.iiij.s.

Condiatur cum
Cinnamomi,
Calami aromatici,
Zingiberis ana ℥.i.s.
Ligenrur in ſindone, & in ſyrupo ſuſpendantur.

* Iuuat omnes affectus frigidos cerebri & neruotum, vt paralyſin, epilepſiam, conuulſionē, ſpaſmum cynicum, tremorem.

¶ Syrupus de Stœchade compoſitus Meſuæ.

Recip. florum ſtœchadis ʒ.xxx.

Thymi,	Piperis longi ʒ.iij.
Calaminthæ,	Zingiberis ʒ.ij.
Origani ana ʒ.x.	Paſſarum ʒ.iiij.
Aniſi,	Aquæ quod ſatis eſt,
Pyrethri ana ʒ.vij.	Mellis lib.v.

Fiat ſyrupus lento igni, deinde aromata ſubſequētia leuiter contuſa, panno raro ligata in eo ſuſpendes;

Cinnamomi,	Croci,
Calami aromatici,	Zingiberis,
Spicæ nardi,	Piperis longi, & nigri, añ. ʒ.i.s.

* Idem quod præcedens efficit.

¶ Syrupus de Nymphea ſimplex Nicolai.

Flores nympheæ, quot voles macerato, ac ter flores mutato, horum infuſionis accipies lib.iiij.
Sacchari quod ſufficit, Fiat ſyrupus.

* Bilis flauæ feruorem extinguit, ideoque mirificè ardentibus alijſque febribus acutis auxiliatur. Somnum quoque conciliat.

¶ Syrupus de Nymphea compoſitus Franciſci Pedemontani.

Recip. florum nympheæ albæ ℥.ij.
Florum nympheæ luteæ,
Semin. pſyllij integri,
Sem. acetoſæ ana ℥.i.
Seminum cucurbitæ,
Citrulli,
Cucumeris,
Melonum,
Lactucæ ana ℥.s.
Seminum endiuiæ domeſticæ,
Endiuiæ ſylueſtris,

Portulacæ ana ʒ.ij.
Radicum fœniculi ℥.i.
Coquuntur in aqua hordei ſufficienti, & colaturæ adduntur
Sacchari lib.i.
Vini granatorum acidorum,
Aceti albi ana ℥.ij.
Fit ſyrupus, & aromatizatur cum
Santali citrini,
Spicæ nardi indicæ ana ʒ.i.s.
*Idem quod præcedens poteſt, eſtq; eo validius.

¶Syrupus è papauere ſimplex Meſuæ.

Recip. capitum papaueris albi,
& nigri recentium ana ʒ.lx.
Aquæ pluuię lib.iiij.
Coquantur ad conſumptionem librarum duarum & dimidiæ aquæ, & additis
Sacchari,
Penidiorum ana ℥.vi. Fiat ſyrupus.
* Aduerſus catarrhum, & ſitim prodeſt, ſomnumq; conciliat.

¶Syrupus è papauere compoſitus Meſuæ.

Recip. papaueris albi, &
nigri ana ʒ.l.
Capillorum Veneris ʒ.xv.
Glycyrrhizæ ʒ.v.
Iuiubas numero.xxx.
Seminum, lactucæ,
Maluæ,
Cydonioru͂ an͂.ʒ.xi.
Coque in libris quatuor aquæ ad dimidij conſumptionem, & cum
Sacchari,
Penidiorum ana ℥.viij. Fiat ſyrupus.
* Valet ad tuſsim ſiccam, phthiſim, catarrhum calidum & acrem, ſomnumque conciliat.

¶Syrupus de Eupatorio Meſuæ.

Recip. radicum fęniculi,
Apij,
Endiuiæ ana ℥.ij.
Glycyrrhizæ,
Schœnanthi,
Cuſcutæ,
Abſinthij,
Roſarum ana ʒ.vi.

Capillorum Veneris,	Maſtichis ana ʒ.iij.
Cardui benedicti,	Spicæ nardi,
Radicũ cardui benedicti,	Aſari,
Florum bugloſſæ,	Folij ana ʒ.ij.
Aniſi,	Aquæ lib.viij.
Fęniculi,	Succorum apij,
Eupatorij ana ℥.v.	Endiuiæ ana lib.ij.
Rhabarbari electi,	Sacchari lib.iiij.

Coquantur & fiat ſyrupus.

* Ventriculum & iecur roborat, ac frigidis iecoris vitijs,& eiuſdem obſtructionibus,aquæ inter cutem incipienti,maloque corporis habitui ſuccurrit. Humores craſſos incidit & extenuat,vrinas,flatus diſsipat,& hypochondriorum tenſionem demolitur.

¶Syrupus è Polypodio compoſitus.

Rec.Polypodij quercini ʒ.x.	Aſari ana ℥.s.
Meliſſæ,	Senæ,
Bugloſſæ ana M.s.	Epithymi ana ℥.i.
Cyperi,	Seminum lactucæ,
Corticum radicis capparis,	Endiuiæ,
Acori,	Scariolę añ.℥.i.s.

Coquantur in aqua ſecundũ artẽ, & colaturæ adde Roſati colati lib.i. Fiat ſyrupus.

* Humores craſſos ac lentos digerit ac vacuat, bilem atram, & pituitam craſſam & lentam purgat etiam à iuncturis: Affectibus ob id melancholicis prodeſt,vt quartanis,& ſplenis duritiei.

¶Syrupus de Pomis ſimplex Meſuæ.

Recip.ſucci pomorum dulcium,
& acetoſorum ana lib.v.

Coque ad dimidij conſumptionem, & colaturæ adiunge

Sacchari clarificati lib.iiij. Fiat ſyrupus.

* Cor imbecillum roborat, ob id cordis ſyncopen & tremorem ſanat.

¶Syrupus de Pomis Saporis.

Recip.

Recip.ſuccorum boraginis,
Bugloſſæ ana lib.iij.
Succi pomorum dulcium lib.iiij.
Foliorum ſenæ ℥.iiij.
Croci ʒ.ij.
Maceretur ſena in dictis ſuccis horas xxiiij. Coque & cola, colaturæ adde Sacchari lib.iiij.
Fiat ſyrupus, Crocum autem coqui debet, ligatum in panno lineo raro.
*Efficacior eſt præcedenti.

¶Syrupus de Hermodactylis Nicolai.

Recip.quinque radicum ana ℥.i.
Seminum quatuor frigidorum maiorum ana ℥.i.s.
Hyſſopi,
Capillorum Veneris,
Ceterach id eſt,aſpleni ana M.s.
Violarum,
Florum roriſmarini
boraginis añ.M.i.s.
Cyperi ʒ.iij.
Camomillæ ʒ.ij.
Paſſarũ corinthiacarũ ℥.i.
Senæ ʒ.ij.
Hermodactylorum,
Cuſcuthæ,ana ℥.s.
Aniſi,
Fœniculi,
Carui ana ʒ.ij.s.
Polypodij ℥.iij.
Agarici ʒ.ij.
Coquantur in aquæ lib.iij. & colaturę adde
Sacchari lib.i.s.
Roſarum.℥.i.
Rhabarbari ʒ.iiij.s.
Turbith ʒ.iij.
Hæc tenuiſsimè trita, inq; panno ligata ſuſpendes in ſyrupo cocto ſecundum artem.

ECLEGMATA, SEV LOCH.

Sectio quarta.

¶Diacodion, Galeni: hoc eſt Diacodion ſimplex.

Recip. capita papaueris albi, mediocri magnitudine, nec nimium viridibus, nec nimium matu-

ris,num.xx.
Aquæ pluuiæ,aut fontanæ lib.iij.
Macera viginti quatuor horas,pòſt coque,donec capita contabuerint,cola & additis
Mellis lib.ij. Coque in iuſtam conſiſtentiam.
Fit etiam hodie cum ſaccharo.

* Confert eis quibus ex capite ad pectus & ad pulmoné ſubtiles catarrhi defluunt, & ſunt cauſa tuſsis.

¶Diacodion cum ſapa.

Recip. decoctionis prædictæ lib.ij.
Sapæ vini dulcis lib.ij.
Glycyrrhizæ ℥.ij.
Coquitur in iuſtam conſiſtentiam.

¶Diacodion compoſitum.

Recip.capita papaueris flaccida num.x.
Aquæ pluuiæ lib.i.s.
Coquantur ad tertias:Colaturæ expreſſæ adde
Sapæ optimæ ℥.iij.
Mellis ℥.i.
Coquantur ad perfectionem,deinde addantur
Acaciæ, Balauſtiorum ana ʒ.i.
Hypociſtidis, Confectionis ramich ʒ.iiij.
Croci, Miſce,ſerua.

* Præter ſimplicis facultates,ſanguinis reiectionem à viſceribus thoracis ſiſtit.

¶Loch de Papauere Meſuæ.

Recip.papaueris albi ʒ.xxv.
Amigdalarum dulcium depellatarum,
Nucleorum pinearum nucum,
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Succi glycyrrhizæ ana ʒ.x.
Amyli,
Seminum portulacæ,
Lactucæ,
Cydoniorum ana ʒ.iiij.

Croci

Croci ʒ.i.
Penidiorum alborum ℥.iiij.
Omnia contundantur, & fiat loch ſecundum artem cum ſyrupi papaueris lib.ij.

Syrupus autẽ papauerinus fit in hunc modum.

Recip.capitum papaueris albi,
& nigri recentium,
Seminum lactucæ,
portulacæ,
Florum violarum ana ℥.i.
Bulliant in aqua cucurbitæ
Fiat ſyrupus cum Sacchari quod ſatis eſt.

*Iuuat tuſsim, & gutturis aſperitatem à catarrho calido, tenui (quem ſputum liquidum indicat) eum enim coquit & craſſat. Confert etiam febribus ardentibus, dolenti thoraci, pleuritidi.

¶Loch de Pſyllio.

Recip.mucaginis pſyllij ſecundũ artẽ extractę ℥.ij.
Sacchari clarificati lib.i.
Coquatur ſaccharum ſufficienter donec candidum fiat, deinde admiſcetur mucilago, & tamdiu agitãtur donec probè vnita ſint & albeſcant.

Fit in hunc modum loch de ſemine lini, & alia huiuſmodi eclegmata quæ mucilagines recipiunt.

¶Loch de Tuſsilagine ſimplex.

Recip.radicum tuſsilaginis lib.i..
Coquantur in aqua donec diſſolutæ ſint,
Contunduntur & colantur, deinde additis
Mellis lib.ij.
Coquitur in iuſtam conſiſtentiam: &
Eodem modo fit loch de althæa, baucia & ſimilia.

¶Loch de Tuſsilagine compoſitum Magiſtrale.

Recip.radicum tuſsilaginis ℥.vi.
Coquantur in aqua, deinde contuſis & diſſolutis in ipſa decoctione, adduntur
Sacchari lib.i.s.

Igni adponuntur,& agitantur donec in commodam formam redigantur,adde
Nucleorum pinearum denudatorum ℥.i.s.
Paſſarum purgatarum ℥.ij.
Contuſis in mortario lapideo, & pérmiſtis adde
Croci,
Caryophyllorum ana ℈.s.
Succi glycyrrhizæ ℈.iij.s.
Cinnamomi,
Macis ana ℈.i.
Redigantur in puluerem tenuem,miſce; fiat loch.

¶Diatragacanthum frigidum Nicolai.

Recip.tragacanthæ albæ ℥.ij.
Gummi arabici ʒ.x.
Glycyrrhizæ,
Seminum cucurbitæ,
Citrulli,
Cucumeris,
Melonum mundatorum, ana ℥.s.
Camphoræ ℈.s.
Penidiorum ℥.iij.
Amyli candidi ℥.s.
Omnibus probè tuſis & in puluerem redactis,cum Sacchari clarificati quod ſufficit
Fiat loch.

*Medetur omnibus pulmonũ & thoracis vitijs aridis,maximè tabidis,macie confectis: inflammatione lateris laborantibus , tuſsi calidæ & ſiccæ, exaſperationi linguæ & faucium.

¶Diatragacanthum calidum Nicolai.

Recip. tragacanthi,
Hyſſopi ana ℥.iiij.
Nucleorum pinearum mundatorum,
Amygdalarum depellatarum, ana ʒ.vi.
Seminis lini,
Fœnigræci,

Cin-

Cinnamomi ana ℥.s.	Zingiberis ana ʒ.ij.
Glycyrrhizæ raſæ,	Sacchari albi quod ſatis eſt
Succi glycyrrhizæ,	Fiat loch.

*Valet tuſsientibus ex frigido phlegmate, & non valentibus expuere, aſthmaticis, empycis, anhelofis, ſuſpirioſis, peripneumonicis, phthiſicis, ad omnem pectoris coarctationem.

¶Loch ſanum & expertum, Meſuæ.

Recip. cinnamomi,	Fœnigræci ʒ.v.
Hyſſopi,	Capill. ven. M.i.
Glycyrrhizæ ana ℥.s.	Aniſi,
Iuiubas,	Fœniculi,
Sebeſten ana num. xxx.	Iridis,
Vuarum paſſarum,	Calaminthæ,
Ficuum pinguium,	Seminis lini ana ℥.s.
Dactylorũ pinguium ana ℥.ij.	

Coquantur in libris quatuor aquæ ad dimidij conſumptionem, Colaturæ bene expreſſæ adde
Penidiarum albarum lib.ij.
Coquantur ad perfectionem, poſteà inſperge ſubſequentia minutiſsimè trita.

Nucleorum pinearum mundatorum,	
Amygdalarum mundatarum ana ʒ.v.	
Succi glycyrrhizæ,	Amyli candidi ana ℥.s.
Tragacanthi,	Iridis ʒ.ij.
Gummi Arabici,	

Agitentur omnia ſimul in lebete donec albeſcant.

*Tuſsi vociſque aſperitati à frigiditate natæ auxilio eſt. Craſſos in thorace & pulmone humores extenuat.

¶Loch de Pino Meſuæ.

Recip. nucleorum pinearũ mundatorum ʒ.xxx.	
Amygdalarum,	Succi glycyrrhizæ,
Auellanarũ aſſatarum,	Amyli,
Tragacanthi,	Capillorum ven.
Gummi Arabici,	Iridis ana ℥.s.

Carnis

Carnis dactylorum ʒ.xxxv.
Amygdalarum amararum ʒ.iij.
Mellis paſſularum,id eſt, Sapæ,
Butyri recentis,
Sacchari optimi ana ʒ.iiij.
Mellis optimi lib.iij.℥.ij. Fiat loch.

* Tuſsi diuturnæ, difficultati ſpiritus, & aſthmati ſuccurrit, humores in thorace craſſos incidit, & extenuat.

¶Loch Antipatri.

Recip.nucleorum pinearum mundatorum ʒ.xij.
Seminis lini aſsi ʒ.ix.
Tragacanthi,
Iridis ana ʒ.xij.
Carnis dactylorum ʒ.xviij.
Amygdalarum dulcium ʒ.xvi.
Diſſoluatur tragacantha in aqua violarum, & reliquis contuſis, cum melle quantum ſufficit fiat loch ſecundum artem.

*Earundem ferè virium cum ſuperiori.

¶Loch de Praſsio Pauli.

Recip.comarum marrubij.
Iridis, Glycyrrhizæ,
Hyſſopi, Seminis apij ana ʒ.iiij.
Pulegij, Ficuum paſſarum pinguium,
Nucleorum pinearum mundatorum ana ʒ.vi.
Macerata in aqua ſufficiente per noctem, decoquantur,& percolatis addatur mellis pars media. Coquatur ad perfectionem.

* Tabeſcentibus maximè conuenit.

¶Loch ex Eruo Pauli.

Recip.amigdalarum amararum ℥.s.
Farinæ orobi,
Hyſſopi ana ℥.i. Iridis ʒ.ij.
Nucleorum pinearum mundatorum ℥.i.
Mellis quod ſatis eſt Fiat loch.

¶Diairis

¶Diairis ſimplex.

Recip.iridis ℥.ſ.
Sacchari candi,
Specierũ diatragacãthi añ.ʒ.ij.
Sacchari quod ſatis eſt.
Coque,fiat loch.

* Præſtat ferè idem quod ſequens.

¶Diairis compoſiti Nicolai.

Recip.iridis ℥.i.
Pulegij,
Hyſſopi,
Glycyrrhizæ ana ʒ.vi.
Tragacanthi,
Amygdalarum,
Cinnamomi,
Nucleorum pinearum,
Zingiberis,
Piperis nigri ana ʒ.iij.
Caricarum,
Carnis dactylorum,
Paſſarum ana ʒ.iij.ſ.
Styracis calamitæ ℈.vij.
Mellis albi ℥.xxviij.
Coque,fiat loch.

*Tuſsiculoſis,difficulter ſpirantibus auxiliatur,abſciſſæ vocis iacturã reſarcit, quæ refrigeratione contracta fit.

¶Diapenidion Nicolai.

Recip.penidiarum ʒ.xvi.ſ.
Nucleorum pinearum mundatorum,
Amygdalarum mundatarum,
Seminis papaueris albi ana ℈.x.
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Zingiberis,
Succi glycyrrhizæ,
Tragacanthæ,
Gummi arabici,
Amyli,
Seminum citrulli,
Melonis,
Cucumeris,
Cucurbitę añ.ʒ.i.ſ.
Camphoræ, Gr.viij.
Syrupi violacei lib.i.ſ.
Coque,fiat loch.

* Valet aduerſus omnem thoracis noxam, tuſsim à frigore contractam,vocis iacturam:tabidis denique, & purulenta exſcreantibus ſuccurrit.

¶Diahyſſopu Nicolai.

Recip. hyſſopi,
Iridis,
Thymi ana ʒ.xxx.
Piperis nigri,
Pulegij,
Satureiæ,

Rutæ,

Rutæ, Fœniculi ana ʒ.x.
Cymini ana ʒ.xx. Zingiberis,
Carnis dactylorum, Aniſi,
Tragacanthæ, Carui,
Glycyrrhizæ, Seminis liguſtici ana ℥.v.
Caricarum pinguium, Sacchari, aut
Paſſarũ enucleatarum, Mellis quod ſatis eſt,
Fiat loch.

* Confert ad vitia capitis frigida, columellam exſiccat, arteriam aſperam purgat, tuſsim compeſcit, omnia frigida thoracis & ſtomachi vitia emendat, concoctionem iuuat.

¶ Loch de ſucco Scillæ Galeni.

Recip. ſucci Scillæ diebus canicularibus excepti vt dictum eſt lib.i.
Mellis lib.i.s. Coque, fiat loch.

* Craſſos & lentos humores, quiq; in thorace difficulter concoquuntur, incidit & extenuat: ideoque aſthmaticis, & difficile ſpirantibus auxiliatur, thoracisque dolorem leuat.

¶ Aliud eiuſdem.

Ipſum ſcyllę corpus è qua ſuccus extractus, libram vnam terito cum mellis lib.i.s.
Coque, fiat loch.

* Hoc facultate poſterius eſt præcedenti.

¶ Loch de Scilla compoſitum Meſuæ, Loch ad Aſthma nuncupatum.

Recip. ſcillæ in pane aſſatæ ʒ.iiij.
Marrubij, Myrrhæ,
Hyſſopi, ana ʒ.i. Croci ana ʒ.s.
Iridis ʒ.ij. Mellis quod ſufficit fiat loch.

* Ad aſthma & diuturnam tuſsim valet, humorem enim craſſum extenuat.

¶ Loch de pulmone vulpis.

Recip. pulmonis vulpini præparati,
Succi glycyrrhizæ,

Seminis fœniculi, Mellis ℥.xvi.
Capill.veneris ana ℥.i. fiat loch.

* Abſtergit & conſolidat vlcera pectoris & pulmonis, & præferendum eſt alijs remedijs in phthiſi.

¶Loch de Carthamo Meſuæ.

Recip. medullæ ſeminis carthami ʒ.vi.
Amygdalarum mundatarum ʒ.ij.
Nucleorum pinearum mundatorum ʒ.i.
Mellis cocti,
Succi ſcillæ ana quod ſufficit
fiat loch ad perfectionem.

ELECTARIA

Sectio quinta.

¶Aromaticum Roſatum Gabrielis, ex Meſue.

Recip. foliorum roſarum rubrarum ℥.xv.
Glycyrrhizę raſę ʒ.vij. Tragacãthę añ.ʒ.iij.℈.ij.
Ligni aloës, Nucis moſchatæ,
Sandali citrini ana ʒ.iij. Cardamomi,
Cinnamomi ʒ.v. Galangæ ana ℥.i.
Macis, Spicæ nardi ℈.ij.
Caryophyllorũ ana ℥.ij.s. Moſchi ℈.i.
Gummi Arabici, Ambræ griſeæ ℈.ij.
Trita & in puluerem redacta permiſcentur cum
Syrupi roſati,
Syrupi è corticibus citri,
Sacchari albi ana ℥.ix.
Coque;fiat electuarium iuſtæ conſiſtentiæ.

Fiunt etiam morſelli in hunc modum.

Recip. ſacchari clarificati lib.i.
Specierum prædictarum ℥.s.
Fiant morſuli ſecundum artem.

* Cerebrum,cor,ventriculum,& omnia nutritioni

ſamulantia membra roborat, appetentiam excitat, concoctionem iuuat, viſcerum excrementoſam humiditatem abſumit, ac ex morbo conualeſcentibus auxiliatur.

¶Aromaticum Caryophyllatum Meſuæ.

Recip. caryophyllorum ʒ.vij.
Macis, Cardamomi maioris ana ʒ.i.
Zedoariæ, Roſarum rubrarum ℥.s.
Galangæ, Glycyrrhizæ raſæ,
Santali citrini, Galliæ moſchatæ ana ʒ.ij.
Trochiſcorũ diarhodon Folij,
Cinnamomi, Cubebæ ana ℈.ij.gr.vi.
Ligni aloës, Ambræ ℈.i.
Spicæ nardi, Moſchi ℈.s.
Piperis longi,
His tenuiſsimè tritis & cum
Syrupi è citro,
Sacchari albi ana q.ſ. permiſtis
fiat electarium.

* Cor, ventriculum, & reliqua nutritionis membra roborat, nauſeam, & vomitum reprimit, flatus diſsipat, putredinem humorum in ventriculo arcet.

¶Diamoſchu dulce, Meſuę.

Recip. croci, Been albi, & rubri,
Doronici, Folij,
Zedoariæ, Spicæ nardi,
Ligni aloës, Caryophyllorũ ana ʒ.i.
Macis ana ʒ.ij. Zingiberis,
Margaritarum albarum, Cubebæ,
Serici crudi vſti, Piperis longi ana ʒ.i.s.
Charabe, Moſchi ℈.ij.
Coralli rubri ana ʒ.ij.s. Excipe cum
Baſilici citrati, Mellis crudi lib.i.℥.vi.
Galliç moſchatę añ.ʒ.ij.s. Coque, fiat electarium.

* Ad frigidos cerebri affectus ſine febre, melancholiam, & illi comatam triſtitiam ſine cauſa manifeſta, ver-

vertiginē, epilepſiā, reſolutionem, oris torturā, cordis palpitationem, pulmonis affectus, & ſpirandi difficultatem conducit.

Diamoſchu amarum fiet ad ſuperiora additis

Abſinthij,	Liguſtici ana ʒ.i.
Roſarū rubrarū ana ℥.ij.	Cinnamomi ʒ.ij.s.
Aloës lotæ ʒ.iiij.	Excipiuntur
Caſtorij,	Mellis quātitati ſufficiēti.

* Hæc confectio præcedenti efficacior eſt, & præterea ventriculi humores etiam putres potentiùs abſumit.

¶Diarhodon Abbatis.

Recip. ſantali albi,	Ligni aloës,
Santali rubri añ. ʒ.ij.s.	Caryophyllorum,
Tragacanthæ,	Galliç moſchatæ,
Gummi arabici,	Aniſi,
Spodij ana ℈.ij.	Fœniculi,
Aſari,	Cinnamomi,
Maſtiches,	Rhabarbari,
Spicæ nardi,	Seminis baſilici,
Cardamomi,	Berberis,
Succi Glycyrrhizæ,	Seminis portulacæ,
Croci,	Seminis ſcariolæ,

Seminum cucurbitæ,
Citrulli,
Cucumeris,
Melonis,
Papaueris albi ana ℈.i.
Margaritarum,
Oſsis de corde cerui ana ℈.s.
Sacchari candi,
Roſarum rubrarum ana ℥.i.ʒ.iij.
Camphoræ gr.xv. Alij gra.vij.
Moſchi gr.iij.s.
Conterantur, & fiat electarium cum
Syrupi roſati,

Sacchari albi ana q.ſufficit.

* Valet aduerſus ventriculi calorem, iecoris, lienis, pulmonumque, contra viſcerum dolores, & omnem totius corporis noxam à calore proficiſcentem.

¶ Diatrion Santalon.

Recip. ſantali albi,	Gummi Arabici,
rubri,	Tragacanthæ,
citrini,	Seminum melonis,
Roſarum,	cucumeris,
Sacchari candi ana ʒ.iij.	citrulli,
Rhabarbari,	cucurbitæ,
Spodij,	ſcariolę ana ʒ.i.s.
Succi glycyrrhizę,	Camphoræ ℈.i.
Seminis portulacę añ.℈.vi.s.	Sacchari quod ſatis eſt fiat electarium.

* Aduerſus hepatis & ventriculi calorem vtilis eſt; præterea mirum in modum tabidis & regio morbo correptis prodeſt.

¶ Diamargariton frigidum, Nicolai.

Recip. ſeminũ citrulli,	Roſarum rubrarum,
Cucurbitæ,	Florum nympheæ,
Melonum,	Boraginis,
Cucumeris,	Baccarũ myrti añ.ʒ.i.
Portulacæ,	Coralli albi,
Papaueris albi,	rubri añ.ʒ.s.
Sandali moſchatellini, citrini,	Margaritarum ʒ.iij.
Ligni aloës,	Sacchari quod ſatis eſt
Zingiberis,	fiat electarium.

* Omnem virium imbecillitatem firmat, ſyncopen iuuat, aſthmaticos, tabidos, tuſsientes, longo morbo extenuatos, & imbecillitate languentes recreat, & ad priſtinum recuperandum robur conducit.

¶ Diamargariton calidum, Auicennæ.

Recip. margaritarum,	Maſtichis ana ʒ.iiij.
Pyrethri ana ʒ.i	Zedoariæ,
Zingiberis,	Doronici,

Semi-

Seminis apij,	Been rubri,
Radicum thapſiæ,	Piperis,
Cardamomi,	Piperis longi ana ℥.iij.
Nucis moſchatæ,	Cinnamomi ℨ.v.
Macis ana ℨ.ij.	Sacchari quod ſatis eſt

fiat electarium.

* Ad vniuerſi corporis refrigerationem confert, mulieres vterum gerentes, prefocationes vteri, cordisq; ſyncopē iuuat: priuatim verò imbecillitati ſtomachi & cruditati eiuſdem, corporis ac cordis exolutioni ſuccurrit.

¶Diambra Meſuæ.

Recip. cinnamomi,	Zingiberis ℨ.i.s.
Doronici,	Ligni aloës,
Caryophyllorum,	Santali citrini,
Macis,	Piperis longi ana ℨ.ij.
Nucis moſchatæ,	Ambræ ℨ.i.
Folij,	Moſchi ℨ.s.
Galangæ ana ℨ.iij.	Excipiantur
Spicæ nardi,	Syrupi roſati,
Cardamomi maioris,	Aquæ roſaceæ,
Cardamomi minoris, añ. ℨ.i.	Sacchari albi ana ſuffi-

cienti quantitate.

* Cerebrum, cor, ventriculum, ac ventrē reliquum inferiorē calefacit, & roborat, exhilarat, coctionem iuuat, affectibus vterinis, & omnibus alijs frigidis prodeſt, ſenibus ob id ac mulieribus ſalubre.

¶Pleres Archonticon Nicolai.

Recip. cinnamomi,	Schœnanthi,
Caryophyllorum,	Cyperi,
Ligni aloes,	Roſarum,
Galangæ,	Violarum añ. ℨ.i. Gr.xv.
Spicæ nardi,	Folij,
Nucis moſchatæ,	Glycyrrhizæ,
Zingiberis,	Maſtiches,
Spodij,	Styracis,

Maioranæ,
Mentæ aquaticæ,id eſt,ſyſimbrij balſamines,
Cardamomi,
Piperis longi,
Piperis albi,
Seminis baſilici,
Baccarum myrti,
Corticũ citri añ.℈.ij.Gr.v.

Margaritarum,
Been albi, & rubri
Coralli rubri,
Serici vſti añ.℈.i.Gr.ij.s.
Moſchi Gr.vij.s.
Caphuræ Gr.v.
Syrupi roſati,
Sacchari albi ana ℥.viij.
fiat electarium.

*Triſtibus,melancholicis,imbecillo ventriculo,deliquio animi à corde nato ſuccurrit; eos qui ex diutino morbo extenuati & imbecilles ſunt corroborat: Memoriam amiſſam recuperat,ſenſus acuit, comitialibus,& aſthmaticis prodeſt, omnemq́ue cerebri debilitatem aufert.

¶Lætificans Galeni,ſecundum Nicolaum.

Recip.florum ocymi,
Croci,
Zedoariæ,
Ligni aloës,
Caryophyllorum,
Corticum citri,
Galangæ,
Macis,
Nucis moſchatæ,
Styracis ana ʒ.ij.s.
Aniſi,

Raſuræ eboris,
Thymi,
Epithymi ana ʒ.i.
Caphuræ,
Moſchi,
Ambræ,
Margaritarum,
Oſsis è corde cerui añ.ʒ.s.
Foliorũ auri,
argenti ana ℈.i.
Sacchari quod ſufficit
fiat electarium.

* Lætitiam colorisq; bonitatem efficit, concoctionem iuuat,& caniciem arcet.

¶Lætificans Raſis ad Almanſorem.

Recip. metiſſæ,
Corticum citri,
Caryophyllorum,
Galliæ moſchatæ,
Maſtiches,

Croci,
Cinnamomi.
Nucis moſchatæ,
Cardamomi maioris,
Seminis pœoniæ,

Been

Been albi, & rubri,
Zedoariæ,
Doronici,
Seminis ocymi caryophyllati ana ℥.ſ.
Moſchi ℈.i. gr.v.
Tritis omnibus & in puluerem redactis adde
Sacchari quod ſatis eſt
fiat confectio in tabulis.

Si verò volueris forma electarij, ea ſyrupo ſequēti excipies, qui

Recip. myrobal. { cepularum, num. xx. / emblicarum, num. xxx.
Trita, & in libris tribus aquæ communis, ad duarum tertiarum conſumptionem, cocta percolabis: Colaturæ addes
Mellis deſpumati lib. ij.
Coque, fiat ſyrupus quo prædicta excipies, & fiet electarium.

* Ad affectus cordis, ventriculi, iecoris, quas partes etiam roborat, admodum confert: palpitationē cordis emendat, valenter exhilarat, & coctionem iuuat, coloremque viuidum efficit.

¶ Diatrion pipereon Galeni.

Recip. piperis nigri,
albi,
longi ana ʒ.l.
Zingiberis,
Aniſi,
Thymi ana ℥.i.
Mellis quod ſatis eſt,
fiat electarium.

Recipit etiam vniuſcuiuſq; generis piperum ℥.iij.

* Ventriculi refrigerationibus, acido ructui, quartanis, reſolutis, iecinoroſis, & inflationib⁹ auxiliatur.

¶ Diatrion pipereon Meſuæ.

Recip. triū piperū ana ʒ.v.
Zingiberis,
Thymi,
Aniſi ana ʒ.ij.
Spicæ nardi,
Ammi,
Amomi,
Cinnamomi ana ʒ.i.
Caſiæ,
Seminis apij,

Seſeleos, Radicum enulæ ana ℥.s.
Aſari, Mellis quod ſufficit.
fiat electarium.

* Hoc magis fluxionibus quę à capite ad thoracem deſcendunt, conuenit.

¶Dioſpoliticon Galeni.

Recip. cumini in aceto macerati & vſti,
Piperis longi,
Comarum rutæ flaccidarum ana ℥.i.
Nitri ℥.s.
Terantur craſsius, & cum
Mellis deſpumati quod ſatis eſt
fiat electarium in bona forma.

* Aluum deiicit cibos qui in ventre corrupti ſunt educendo; ijsque conuenit quibus venter frigidus eſt, aut ad frigus propenſior, ſiquidem pituitam extenuat & ſpiritum flatulentum expellit.

¶Diacyminum Meſuæ.

Recip. cymini pridiè in aceto macerati, deinde ſiccati ʒ.x.

Zingiberis,	Galangæ,
Cynnamomi ana ℥.s.	Piperis longi,
Caryophyllorum,	Cardamomi ana ʒ.ij.
Ligni aloës,	Moſchi ℈.s.
Macis ana ʒ.ij.s.	Mellis deſpumati q. ſ.

fiat electarium forma conuenienti.

* Ventriculum & viſcera reliqua calefacit, coctionem iuuat: flatus in dictis viſceribus natos diſsipat.

¶Diacyminum Nicolai.

Recip. cymini in aceto præparati ʒ.viij. ℈.i.
Cinnamomi,
Caryophyllorum ana ʒ.ij.s.
Zingiberis,
Piperis nigri ana ʒ.ij. Gr.v.
Galangæ,
Thymbræ,

Cala-

Calaminthes ana ʒ.i. ℈.ij.
Ammi,
Liguſtici ana ʒ.i. Gr.xviij.
Piperis longi ʒ.i.
Spicæ nardi,
Cardamomi,
Nucis moſchatæ ana ℈.ij.s.
Omnibus tritis & in puluerem redactis, Mellisque deſpumati.q.ſ. exceptis fit electarium.
Fit etiam forma ſolida cum ſaccharo, hoc eſt,ad ſingulas ſpecierum dimidias vncias, libram ſacchari commiſcendo.
* Confert frigiditati thoracis,ſtomachi,inflatis,colicis, febre quartana laborantibus, & ventriculi coctionem iuuat.

¶ Diacalaminthes Galeni.

Recip.calaminthes montanæ,
Seminis petroſelini,
Pulegij,
Seſeleos ana ℥.s.
Seminis apij,
Cacuminum thymi ana ℥.i.
Liguſtici ℥.iiij.
Piperis lib.i.
Terantur ſubtiliſsimè,&
Melle deſpumato quantum ſatis eſt excipiantur.
* Craſſa & lenta attenuat,& diſcutit,vrinas mouet, ac muliebres menſes.

¶ Diacalaminthe Meſuæ.

Recip.calaminthæ montanæ,
Calaminthæ campeſtris,
Seſeleos,
Petroſelini ana ʒ.vi.
Zingiberis,
Seminis apij,
Comarum thymi ana ʒ.iij.

Liguſtici ʒ.vi.
Piperis ʒ.xij.
Excipe melle deſpumato quod ſatis eſt.

* Auxiliatur ijs quos cibi faſtidium vrget, appetentiam reuocans, ægrè quoque ſpirantibus, ventriculo refrigeratione ſentienti, & flatibus diſtento confert.

¶Dia cinnamomum Meſuæ.

Rec. cinnamomi ʒ.xv.	Zingiberis,
Caſiæ,	Macis,
Cymini,	Nucis moſchatæ,
Radicum enulę ana ℥.s.	Ligni aloës ana ʒ.iij.
Galangæ ʒ.vij.	Croci ʒ.i.
Caryophyllorum,	Sacchari ℥.v.
Piperis longi,	Moſchi ℈.ij.
Cardamomi maioris,	Excepta
Cardamomi minoris,	Mellis deſpumati ℔.ij.℥.viij.

Coque, fiat electarium.

* Coctionem iuuat, etiam pituitæ putredinē prohibet, diſtributionem alimenti in corpus promouet.

¶Diagalanga Meſuæ,

Recip. Galangæ,	Calaminthæ ſiccæ,
Ligni aloës ana ʒ.vi.	Menthæ ſiccæ,
Caryophyllorum,	Cardamomi,
Macis,	Spicæ nardi,
Liguſtici ana ℥.ij.	Seminum apij,
Zingiberis,	Fœniculi,
Piperis longi,	Aniſi,
Piperis albi,	Carui ana ʒ.i.
Cinnamomi,	Sacchari albi ℥.x.
Calami odorati ana ʒ.i.s.	Mellis deſpumati q.ſ.

fiat electarium vt decet.

* Ventriculi & hepatis intemperiem frigidam ſanat: ob id coctionem iuuat, ructus acidos cōpeſcit, & flatus craſſos potenter diſsipat, atque ab eis natas inflationes: oris habitum commendat.

¶Diacurcuma, id eſt, διὰ κρόκον, Meſuæ.

Recip.

Rec.Tragacãthę,ʒ.i.	Carpobalſami,
Croci,	Rubíæ tinctorum,
Aſari,	Succi abſinthij,
Seminũ petroſelini,	Succi eupatorij,
Apij,	Olei balſami ana ʒ.ij.
Dauci,	Calami aromatici,
Aniſi añ.ʒ.iiij.	Cinnamomi ana ʒ.i.s.
Rhabarbari optimi,	Scordii,
Mei,	Ceterach.i.aſpleni,
Spicæ nardi ana ʒ.vi.	Succi glycyrrhizę añ.ʒ.ij.s.
Coſti,	Trita,&
Myrrhę,	Mellis deſpumati q.ſ. excepta.
Caſiæ,	
Schœnanthi,	fiat electarium.

* Ventriculi,iecoris,lienis morbos frigidos,ob idq; diuturnos ſanat,& hinc orta ſymptomata,vt hydropem,cachexiam,colorem corporis fœdum, humorum in ventriculo corruptelam, renum & veſicæ vitia frigida,vrinamq́ue euocat.

¶Diacurcuma minor Meſuæ.

Recip.ſpicæ nardi,	Schœnanthi,
Myrrhæ,	Coſti,
Caſiæ,	Cinnamomi ana ℥.i.
Croci,	Mellis deſpumati q.ſ.
fiat electarium.	

* Idem pollet quod ſuperior,ſed imbecillius.

¶Dialacca.

Recip.laccæ lotæ,	Amygdalarum amararum,
Rhabarbari ana ʒ.iij.	Coſti,
Spicæ nardi,	Myrrhæ,
Maſtiches,	Rubiæ,
Seminis apij	Fœniculi,
Succi abſinthij,	Aniſi,
Succi eupatorij,	Aſari,
Ammi,	Ariſtolochiæ rotundæ,
Sabinæ,	Gentianæ,

Croci,

Croci,	Schœnanthi,
Cinnamomi,	Bdellij ana ʒ.i.ſ.
Hyſſopi,	Piperis,
Caſiæ,	Zingiberis ana ʒ.i.

Myrrham & bdelliũ in vino infunde, cætera tenuiſſimè tere,& melle deſpumato quantum ſatis eſt, excipe,fiat electarium.

*Ventriculum & hepar roborat, hepatis obſtructiones aperit,eius ſcirrhũ diſſoluit,& ex his naſcentem cacheriam & hydropen ſanat,vrinas mouet, lapidemque renum & veſicæ frangit.

¶Dianiſon Meſuæ.

Recip. ſeminum aniſi ℥.ij.ſ.

Glycyrrhizæ raſæ,	Caſiæ,
Maſtiches ana ℥.i.	Pyrethri,
Seminum carui,	Calaminthæ ana ʒ.ij.
fœniculi,	Cardamomi maioris,
Macis,	Caryophyllorum,
Galangæ,	Cubebarum,
Zingiberis,	Croci,
Cinnamomi ana ʒ.v.	Spicæ nardi ana ℥.i.ſ.
Piperis nigri,	Sacchari albi ℥.v.
albi,	Mellis deſpumati q.ſ.
longi,	fiat electarium.

* Intemperiem frigidam ventriculi à pituità cruda, vel etiam flatibus ſanat, & tuſsim diuturnam à frigida cauſa genitam.

¶Dianthon Nicolai.

Recip.florum roriſmarini ℥.i.

Roſarum rubrarum,	Cinnamomi,
Violarum,	Zingiberis,
Glycyrrhizæ ana ʒ.vi.	Zedoariæ,
Caryophyllorum,	Macis,
Nucis moſchatæ,	Ligni aloës,
Galangæ,	Cardamomi,
Spicæ nardi,	Seminis anethi,

Seminis

Seminis aniſi ana ℈.iiij. Mellis q.ſ. fiat electarium.

* Succurrit præter rationem triſtibus, animi lætitiam auget; Item cardiacis, elephantia correptis, animi defectionibus, & cordis ſyncopi, & in vniuerſum omni corporis imbecillitati prodeſt.

¶ Cyphoides andromachi.

Recip. pulpæ paſſarum pinguium ℥.iij.	
Croci,	Schœnanthi ʒ.ij.s.
Calami aromatici,	Myrrhæ ʒ.iiij.
Bdellij ana ʒ.ij.s.	Radicum aſpalathi ʒ.ij.
Caſiæ,	Terebinthinæ ʒ.iiij.
Cinnamomi ana ℥.i.s.	Mellis, &
Spicæ nardi ʒ.iij.	Vini odorati ana q.ſ.

Coque, fiat electarium vt artis eſt.

* Ad hepaticos, & thoracis affectiones vtilis eſt.

¶ Electarium de baccis Lauri Raſis.

Recip. foliorum rutæ ʒ.x.	
Seminum Ammi,	Piperis nigri, &
Cymini,	longi,
Nigellæ,	Menthaſtri,
Ligustici,	Baccarum lauri,
Carui,	Caſtorij ana ʒ.ij.
Dauci,	Sagapeni ℥.s.
Origani,	Opopanacis ʒ.iij.
Amygdalarũ amararum,	Mellis lib.i. ℥.iiij.

Tritis diligenter quæ trituranda ſunt, fiat electuariũ; deinde addantur lachrymæ in vino diſſolutæ.

* Valet ad colicam & iliacam paſsionem, & doloribus inteſtinorum ex cauſa frigida, vel flatuoſa.

¶ Electuarium de cineribus Auicennæ.

Recip. cinerum vitri,
Scorpionum,
Radicum braſsicæ,
Leporis,
putaminũ ouorũ è quib⁹ pullus exẽptus ſit,

Lapidis

Lapidis ſpongiæ,
Sanguinis hirci præparati,
Lapidis Iudaici,
Gummi iuglandis,
Acori ana ʒ.i.
Petroſelini,
Dauci,
Pulegij,
Gummi arabici,
Seminis altheæ,
Piperis nigri ana ʒ.i. s.
Mellis q.ſ.
fiat electarium.

¶Confectio Anacardina Meſuæ.

Recip.piperis nigri,
longi,
Myrobalan. cepularum,
Emblicarum,
Bellericarum,
Indarum,
Coſti,
Anacardij,
Croci,
Melanthij,
Baccarũ lauri añ.ʒ.vi.
Cyperi ʒ.iiij.
Caſtorij,ana ʒ.ij.
Tere anacardia per ſe, & alijs tritis miſce, & factum Electarium cum
Butyri recentis non ſaliti,
Mellis deſpumati ana q.ſ. Coquatur vt artis eſt.

* Ad totius inferioris ventris, & cerebri affectus frigidos conducit, ſanguinem puriorem reddit, & inde ſpiritu animali facto purgatiore, & tenuiore, ſenſus omnes, apprehenſionem, intellectum & memoriam iuuat,coloremq; viuidum corpori tribuit.

¶Alia Confectio Anacardina.

Recip.aloes ℥.i. s.
Iridis,
Caſiæ ana ʒ.vij.
Zingiberis,
Anacardij,
Carpobalſami ana ʒ. iiij.s.
Folij,
Spicæ nardi,
Myrobal. fuluarum,
Cepularum,
Indarum,
Myrobal. Bellericarum,
Emblicarum,
Mei,
Epithimi ana ʒ.iij. ℈.i.
Caryophyllorum,
Schœnanthi,
Rhei pontici,
Maſtiches ana ʒ.ij.
Corticum radicum fœniculi lotorum lib.i.
Aceti optimi lib.ij.

Con-

Contuſa & macerata in prędicto aceto dies ſeptem, coquantur, & colentur; Colaturæ bene expreſſæ adde
Mellis deſpumati lib.ij.
fiat electarium vt artis eſt.

¶Electarium ex Aſa fœtida ſeu Laſere, Meſue.

Recip. laſeris,	Foliorum rutæ ana ℥.s.
Piperis,	Terantur, & excepta cum
Myrrhæ,	Mellis deſpumati ℥.viij.

Coquantur vt decet.

* Ad febres antiquas, & circuitum repetentes, vt quartanas quotidianas, ſomnum grauem, tremorem, venenoſos morſus vtile eſt.

¶Hiëra ſimplex Galeni.

Recip. cinnamomi,	Maſtiches chiæ, ana ʒ.vi.
Xylobalſami,	Croci ʒ.v.
Aſari radicum,	Aloës electæ ʒ.xc.
Nardi ſpicæ,	

Omnibus tritis & in puluerem redactis, deinde Mellis quantitate ſufficienti exceptis fit electarium.

Addita autem agarici prępatati parte dimidia fiet hiëra cum agarico. alijs quarta ſufficere videtur.

* Præſtantiſsimum medicamentum eſt ad vitioſos ſuccos, qui in vētriculi tunicis hærent. Vtiliter quoq; exhibetur ijs qui ſuffuſorum imagines, & alia ſymptomata ex ſtomachi vitio patiuntur: & præterea ijs qui aluo ſunt adſtricta, & mulieribus quæ non probè purgantur.

¶Hiëra compoſita Galeni.

Recip. colocinthidis ʒ.viij.	Sthœchadis,
Scillæ aſſatæ,	Hyperici,
Agarici,	Pulegij.
Ammoniaci,	Gentianæ,
Scammonij,	Spicæ nardi,
Corticum radicū hellebori nigri,	Schœnāthiañ. ʒ.xvi.
	Polij montani,

Epi-

Epithymi,
Polypodij,
Bdellij,
Aloês,
Chamœdrios,
Euphorbij,
Marrubij,
Caſiæ ana ʒ.viij.
Myrrhæ,
Sagapeni,
Croci,
Ariſtolochiæ rot.
Trium piperum,
Cinnamomi,
Opopanacis,
Caſtorij,
Petroſelini ana ʒ.iiij.

Omnia tenuiſsimè contrita excipe melle ad ſpecierum pondus.

* Medicamentum eſt efficaciſsimũ ad omnes morbos contumaces,& tutiſsimum.

¶ Hiêra Archigenis ex Aëtio.

Recip.colocynthidos ℥.i.
Chamædryos,
Agarici,
Marrubij,
Stœchadis ana ʒ.x.
Opopanacis,
Sagapeni ana ℥.i.
Petroſelini,
Ariſtolochiæ rot.
Piperis albi ana ʒ.v.
Cinnamomi,
Spicæ nardi,
Myrrhæ,
Polij montani,
Croci ana ʒ.iiij.
Mellis deſpumati ad pondus ſpecierum fiat electarium.

* Confert affectibus melancholicis, & ex pituita craſſa natis, vt vertigini,epilepſiæ, ſpaſmo, difficultati ſpirãdi,pſoræ,lepræ,& cæteris tuberculis à craſſa materia naſcentibus aut ſeroſo excremento, item inteſtinis, ventriculo, vtero à flatu dolentibus, aut prædictis humoribus.

¶ Hiêra Logadij ex Aêtio.

Recip.colocynthidis ʒ.xx.
Scillæ aſſatæ,
Agarici,
Ammoniaci,
Scammonij,
Corticis radicũ ellebori nigri,
Hyperici ana ʒ.i.
Epithymi,
Polypodij,
Bdellij,
Aloës,
Chamædryos,

Mar-

Marrubij,
Caſiæ ana ℥.i.
Myrrhæ,
Piperis albi,
nigri,
Cinnamomi,
Croci,
Opopanacis,
Sagapeni,
Caſtorij,
Petroſelini,
Ariſtolochiæ ana ℥.s.
Mellis deſpumati ad pondus omniū ſpecierum.

* Ad lateris dolorem, epilepſiam, maniam, melancholiam morbum, ſcotoma, cephalæam, ſuſpiria, ſubitam præfocationem, incubum, tetanum, ſpaſmum cynicum, contuſum corpus ex ictu, lapſu, tremorem, paralyſim, arthritidas, dolores ſpinæ, mammarū duritias, cancroſque earum, ſtomachi imbecillitatem, ructum acidum, inflationem, tormina, nauſeam, colicum dolorem, menſes ſuppreſſos.

¶ Hiêra Logadij, ex Nicolao.

Rec. pulpę colocynthidis,
Polipodij ana ʒ.ij.
Euphorbij,
Polij montani,
Seminis thymeleæ ana ℥.i.s. Gr.vi.
Abſinthij,
Myrrhæ ana ℥.i.Gr.xij.
Centaurij.
Agarici,
Ammoniaci,
Folij,
Nardi indicæ,
Scillæ,
Scāmonij præparati añ.ʒ.i.
Aloës,
Comarum thymi,
Caſiæ,
Chamædryos.
Bdellij,
Marrubij ana ℈.i Gra. xiiij.
Cinnamomi,
Opopanacis,
Caſtorij,
Ariſtolochiæ,
Trium piperum,
Croci,
Sagapeni,
Petroſelini ana ℥.s.
Hellebori nigri,
albi añ.G.vi.
Mellis deſpumati lib.i. ℥.i.s.

Confice vt decet.

* Exterminat mala diuturna ex melancholia facta, epilepſiam, vertiginem, conuulſiones, hemicraniam,

elephantiam, impetigines, lethargum, prodeſt, ſpumantibus & linguam mordentibus, his qui lethalia venena ſumpſerunt, iecinoroſis, pleuriticis, iſchiadicis, & lumborum dolore infeſtatis vitioſos humores educit & mulierum menſtrua.

¶Benedicta ſimplex Nicolai.

Recip. turbith electi,
Sacchari ana ʒ.x.
Eſulæ,
Diagridij,
Hermodactylorum,
Roſarũ rubrarũ ãn.ʒ.vi.
Caryophyllorum,
Spicæ indicæ,
Zingiberis,
Croci,
Saxifragiæ,
Piperis longi,
Amomi,
Cardamomi,
Seminis petroſelini,
Lithoſpermi,
Carui,
Fœniculi,
Aſparagi,
Ruſci,
Salis gemmæ,
Galangæ,
Macis ana ʒ.i.
Tritis triturandis, fiat electarium cum Mellis deſpumati lib.iij.

* Humores pituitoſos, ad articulos potiſsimum decumbentes, elicit. A renibus quoq; & veſica purgat.

¶Diaſene Gentilis de Fulgino.

Recip. foliorũ ſenæ ℥.iij.
Auellanarum num.l.
Serici vſti ʒ.ij.
Lapidis armeni ʒ.i.
Sacchari ℥.v.
Mellis deſpumati ℥.vi.
fiat electarium ſecundum artem.

¶Diaſena Nicolai.

Recip. ſenæ ℥.iij.
Auellanas toſtas num.l.
Serici vſti ʒ.ij.
Lapidis armeni lauati, ʒ.i.
Lapidis lazuli loti ʒ.iij.
Sacchari ℥.vi.
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Galangæ,
Piperis nigri,
Spicæ nardi indicæ,
Folij,
Seminis ocimi,
Cardamomi,
Croci,
Zingiberis,

Zedo-

Zedoariæ,
Florum roriſmarini;
Piperis longi ana ℥.ij.
Mellis deſpumati lib.ij.
fiat electarium.

* Succurrit melancholicis, mania vexatis, quartana laborantibus, triſtitia affectis, lienoſis, elephanticis, & omnibus vitijs ex atra bile procreatis.

¶Diaſena recens Raſis, quæ ſub nomine Electuarij Lenitiui in vſu eſt.

Recip. paſſularum enucleatarum ℥.ij.
Capillorum veneris,
Violarum,
Hordei mundati ana M.s.
Sebeſten,
Iuiubas ana num.xx.
Glycyrrhizæ ℥.s.
Prunorum exemptis nucleis,
Tamar indorum ana ℥.vi.
Senæ mundatæ,
Polipodij ana ℥.ij.
Coctis ad tertiæ partis conſumptionem, adde
Mercurialis recentis M.i.s.
Bulliant leuiter, cola. In colatura diſſolue
Pulpæ caſsiæ,
Tamar indorum,
Prunorum,
Per cribrum tranſcolentur, & adde
Sacchari albi lib.iij.s.
Sacchari violati ℥.vi.
Coquantur omnia, & fiat electarium in bona forma, vocaturque diaſena ſenæ expers. Qui verò voluerit cum ſena habere, ad ſingulas electarij vncias addat Pulueris ſenæ ℥.i.

*Valet in febribus ex humorum putredine natis, & pleuritide. Emollit enim aluum; & vtramque bi-

lem ſine moleſtia & innoxiè educit.

¶Electarium de Sebeſte, Montagnanæ.

Recip. ſebeſten,
Prunorum ſiccorum,
Pulpæ tamar indorum ana ℥.v.
Aquæ violarum lib.i.
Aquæ iridis,
Anguriæ ana ℥.vi.
Succi mercurialis depurati ℥.iiij.
Penidiorum ℥.viij.
Seminum cucurbitæ enucleatorum,
Cucumeris,
Melonis,
Citrulli ana ℥.ij.
Diagridij ʒ.iij.

Coquũtur tamar indi, ſebeſten & pruna, & in aquis ſtillatitijs diſſoluta commiſcentur cum
Diapruni ſimplicis lib.i.s.
Poſteà adduntur penidia, & his diſſolutis reliqua cõmiſcentur, & fit electuarium.

* Confert febribus bilioſis interpolatis, ac continuis exquiſitis, febriumque vehementiam ſedat, ſitim extinguit, vigilias arcet, & acres humores per vrinam educit.

¶Diacaſsia Nicolai, ſub nomine Caſsiæ conditæ.

Recip. pulpæ caſsiæ lib.i.

Pulpæ tamar indorum.	Sacchari violati,
Mannæ electæ,	Sacchari candi añ.℥.i.s.
Penidiorum,	Syrupi violati ℥.iij.

Hæc omnia diſſolue in decocto ſequenti.

Prunorum,	Polypodij ana ℥.i.
Violarum,	Foliorũ ſenæ ℥.s.
Glycyrrhizæ,	Aniſi,

Seminũ communiũ enucleatorũ, Fœniculi ana ʒ.i.
Coquantur in aqua ad tertiæ partis cõſumptionem, & colaturæ bene expreſſæ addantur ſupradicta, ac in ele-

electarij formam reducantur.

* Confert ijs qui dura ſunt aluo, hęc enim leniter & citra moleſtiam ſubducit,ac flauam educit bilem, ac febres inde natas mitigat.Thoracis pulmonis, & aſperæ arteriæ phlegmonas reſoluit,&c.

¶Diacaſsia magiſtralis.

Recip.iuiubarum,	Tamar indorum,
Prunorum,	Sebeſten,
Capılli veneris,	Violarum ana M.i.

Coquantur in aqua ſecundum artem, & in colatura diſſolue

Pulpæ caſsiæ lib.x.

Sacchari albi lib.v.

Coquantur ad perfectam conſiſtentiam.

¶Caſsia communis.

Recip.violariæ,	
Maluæ,	Betæ,
Mercurialis,	Parietariæ ana M.i.

Fiat horum viridium decoctio in

Aquæ communis lib.x.

Bulliant ad dimidij conſumptionem: hac colatura bene expreſſa extrahitur caſsia, & ad ſingulas libras pulpæ adduntur

Mellis deſpumati. ℥.vi.

Coquitur in formam electuarij.

* Aluum leniter & citra moleſtiam omnem ſubducit,eſtque pro delicatis ac mollioribus.

¶Diaprunum non laxatiuum Nicolai.

Recip.pruna electa num.c.

Coquantur perfectè in aqua ſufficienti, deinde cribro raro tranſmittantur, & reſeruata pulpa decoctioni affunde

Violarum ℥.s.

Bulliant ſufficienter,& colentur: colaturę addantur

Sacchari lib.ij.

Pulpæ ſupradictæ lib.i.

Pulpæ caſsiæ
Tamar indorum ana ℥.i.
Coquantur lento igni,& addantur ſubſequẽtes ſpecies tenuiſsimè tritæ,ſemper commouendo,
Santalorum albi,
rubri,
Spodij,
Rhabarbari electi,
Cinnamomi ana ʒ.iij.
Roſarum rubrarum,
Violarum,
Seminum portulacæ,
Seminum ſcariolæ,
Berberis,
Succi glycyrrhizæ,
Tragacanthæ ana ʒ.ij.
Seminum cucurbitæ,
Cucumeris,
Melonũ añ.ʒ.i.
Contundantur vt ſupra.
* Facit ad acutas,ardentes, omneſque alias febres, nempè tertianas continuas, hecticas, maraſinodes, lipyrias, & in ſumma ad omnem febrilem affectum.

¶Diaprunum ſolutiuum.

Recip.diaprunis non laxatiui lib.i.
Diagridij ℥.i. fiat electarium.

¶Diacatholicon Nicolai.

Recip.pulpæ caſsiæ,
Tamar indorum,
Senæ mundatę ana ℥.ij.
Rhabarbari,
Polypodii,
Violarum,
Aniſi ana ℥.i.
Glycyrrhizæ raſæ,
Penidiorum,
Sacchari candi,
Quatuor ſem.frig.maior. ana ʒ.ij.
Conterenda conterantur: Et ſume
Polypodij recentis ℥.iij.
Seminis fœniculi ℥.ij.
Aquæ communis lib.ix.
Coque ad dimidij conſumptionem, & cola: colaturæ adde.
Sacchari albi lib.ij.
Coquantur ad ſyrupi conſiſtentiam, & ſupra ſcriptis additis,fiat electarium.
* Omnes corporis humores purgat. Confert acutis & peracutis morbis. Emollit enim, alterat, roburque

burq́ue addit. Iocineroſis, lienoſis, podagricis, arthriticis, tertianis, quartanis, & quotidianis, doloribus capitis ſuccurrit.

¶Diapolypodion Magiſtrale.

Recip. polypodij mundati lib.ij.
Mellis deſpumati lib.vi.
Aceti ſcillitici lib.i.℥.ij.
Zingiberis ʒ.vi. fiat electarium.

¶Diacarthamu Arnoldi de villa noua.

Recip. ſpecierum diatragacanthi frigidi ℥.s.
Pulpæ cydoniorum ℥.i. Mannæ ʒ.ij.
Pulpæ carthami ℥.s. Mellis roſati colati,
Zingiberis ʒ.ij. Sacchari candi ana ℥.i.
Scāmonij præparati ʒ.iij. Hermodactylorum ℥.s.
Turbith ʒ.vi. Sacchari albi ℥.x.s.
fiat electarium liquidum.

*Flauæ bili & pituitæ educendę mirificè conducit.

¶Electarium Epiſcopi ſiue Eleſcoph Meſuæ.

Recip. ſcammonij præparati,
Turbith ana ʒ.vi.
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Zingiberis,
Myrobalanorum emblicarum,
Nucis moſchatæ,
Polypodi ana ʒ.ij.s.
Sacchari optimi ℥.vi.
Mellis deſpumati lib.i.℥.iiij.
Coquantur fiat electarium.

*Bilem flauam & pituitam elicit, flatus quoque toto corpore expellit, doloribus articulorum, lateriśq; prodeſt, item colicis cruciatibus : humores ad renes & veſicam decumbentes expurgat.

¶Diaphœnicon Meſuæ.

Recip. dactylorum mundatorum ʒ.c.
Penidiorum ʒ.l.

Amygdalarum purgatarum ʒ.xxx.

Turbith electi ʒ.xxxv.	Ligni aloës,
Scammonij ʒ.xij.	Macis,
Zingiberis,	Aniſi,
Piperis longi,	Fœniculi,
Florum rutæ,	Dauci,
Cinnamomi,	Galangæ ana ʒ.ij.s.

Dactyli per triduum in aceto & totidem noctes macerantur, deinde in mortario contunduntur cum amygdalis & penidijs. Reliqua tenuiſsimè teruntur, & in electarium reducuntur cum .

Mellis deſpumati lib.vi.

* Febribus cōpoſitis & diuturnis auxiliatur, bilem enim flauam & pituitam ducit. Colicis cruciatibus mirificè confert, item doloribus ventriculi,& id genus alijs vitijs ex crudis humoribus ortis.

¶Electarium Hamech,Meſuæ.

Recip.myrobalanorum fuluarum ℥.iiij.	
Cepularum,	Violarum ℥.i.s.
Indarum,	Epithymi ℥.ij.
Rhabarbari electi añ.℥.ij.	Seminis aniſi,
Agarici,	Fœniculi,
Colocynthidis,	Roſarū rubrarū añ.ʒ.vi.
Polypodij ana ʒ.xviij.	Succi fumariæ lib.i.
Abſinthij,	Pruna num.lx.
Thymi,	Paſſularum enucleatarum ℥.vi.
Senæ ana ℥.vi.	

Macerentur omnia in ſero lactis caprini ſufficiente, in vaſe vitrato anguſti oris,per dies quinque. Poſteà ferueant vna aut altera ebullitione, Colentur,colaturæ bene expreſſę adde

Pulpæ caſsiæ ℥.iiij.

Pulpæ tamar indorum ℥.v.

Mannæ ℥.iij.

Frica manu, cola, & adde

Sacchari albi lib.i.s.

Scam-

Scammonij præparati ℥.i.s.
Coque ad mellis conſiſtentiam,& adde

Myrobalanorũ fuluarum,		Rhabarbari,
	Cepularũ,	Seminis fumariȩ añ.℥.s.
	Indarum,	Spicæ nardi indicæ,
	Bellericarũ,	Aniſi ana ʒ.ij.
	Emblicarũ,	Confice electuarium.

* Morbis omnibus ex flaua bile & pituita ſalſa natis,nempè impetigini,ſcabiei,elephantiæ , & cancro ſuccurrit.In ſumma omni fœditati cutis à bilioſis & aduſtis humoribus procreatæ conuenit.

¶Electarium è ſucco Roſarum, Nicolai.

Recip.ſucci roſarum rubrarum,
Sa chari albi ana lib.i.℥.iiij.
Scammonij præparati ℥.i.s.
Santali rubri,
albi,
lutei ana ʒ.vi.
Spodij ʒ.iij.
Camphoræ ℈.i.
Coquatur ſaccharũ cum ſucco roſarum, deinde reliqua trita adijciantur,& fiat electarium.

* Expellit flauam bilem citra moleſtiam , ad morbos articulorum ex bilioſis & calidis humoribus natos,ad febresque tertianas confert.

¶Electarium roſatum, Meſuæ.

Recip. ſucci roſarum rub. lib.iiij.
Sacchari optimi lib.i.s.
Mannæ electæ & recentis ℥.vi.
Scammonij præparati ℥.i.s.
Coque igni lento ad mellis craſsitudinem, tunc adde ſubſequentia bene trita, & per cribrũ tranſmiſſa,
Trochiſc. de ſpodio ℥.i. Croci ana ʒ.ij.
Galliæ moſchatæ, Trochiſc.de berberis ℥.s.
Confice ſecundum artem.
Hoc electario vtimur in conficiendis catapotijs ag-

gregatiuis,& de hermodactylis.

* Cholagogum eſt clemens, ob id ſalubre bilioſis affectibus.arthritidi calidæ,cephalalgiæ calidæ, vertigini,oculorum dolori,ictero.

¶Electarium Indum maius Meſuæ.

Recip. cinnamomi,
Caryophyllorum,
Spicæ nardi,
Roſarum rubrarum,
Caſiæ,
Macis,
Cyperi ana ℥.s.
Santali citrini ʒ.ij.s.
Ligni aloës,
Nucis moſchatæ ana ʒ.ij.
Turbith electi ʒ.j.
Sacchari optimi,
Penidiorum ana ʒ.xx.
Galangæ,
Cardamomi maioris,
Cardamomi minoris,
Aſari,
Maſtichis ana ʒ.i.s.
Scāmonij pręparati ℥.i.s.

Omnia tenuiſsimè conterantur, & manibus oleo amygdalarum dulcium recens extracto, bene inunctis, fricentur, & fiat electarium cum ſyrupo ſubſequenti,qui

Recip. ſucci apij,
Fœniculi,
Cydoniorum,
Granatorum ana ℥.vi.
Mellis deſpumati lib.iij.s.
Coquantur in formam ſyrupi.

* Purgat ventrem totum inferiorem,atq; adeò iuncturas pituita etiam putri,flatusque diſsipat: & affectibus inde natis,dolori colico & nephritico,& ventriculi,& aliorum viſcerum,vtile eſt.

¶Electarium Indum minus Meſuæ.

Recip. turbith electi,
Sacchari ana ʒ.vi.
Macis,
Caryophyllorum,
Piperis,
Zingiberis,
Cinnamomi,
Nucis moſchatæ,
Cardamomi ana ʒ.vij.
Scāmonij præparati ℥.i.s.
Mellis deſpumati lib.iij.

* Ad

* Ad eadem efficax eſt.

¶ Electarium de Pſyllis Meſuæ.

Recip. ſucci bugloſsi ſiue boraginis domeſticæ & (ſylueſtris,
Endiuiæ,
Apij, ana lib.ij.
Succi fumariæ ℥.iiij.
Clarificentur, & in his infunde
Cuſcutæ, Capillorum ven. M.i.
Aniſi, Aſari ℥.s.
Senæ ana ℥.s. Nardi indicæ ʒ.ij.
Macerentur vigintiquatuor horas, deinde ſemel ferueſiant, & adde
Violarum recentium ℥.iij.
Epithymi ℥.ij.
Rurſus ferueſiant, colentur, colaturæ addantur
Pſyllij ℥.iij.
Macerentur vigintiquatuor horas identidem agitando, pòſt exprime totã muccaginem, in cuius lib.iiij. coque igni lento
Sacchari optimi lib.ij.s.
Scammonij præparati ℥.iij.s.
Coctis omnibus adde, ſubſequẽtia ſubtiliſsimè trita
Trochiſcorum diarhodon,
de ſpodio,
Rhabarbari ana ℥.i.
Trochiſcorum de berberis ℥.s.
fiat electarium.

* Flauam bilem euocat, ob id febribus ardentibus, acutis, curatu difficilibus auxiliatur, dolori capitis, & vertigini à bilis vapore naſcenti, ictero & intemperiei calidæ hepatis.

¶ Triphera Perſica Meſuæ.

Recip. ſucci ſolani,
Endiuiæ,
Apij,
Lupuli ana lib.i.

Viola-

Violarum ʒ.iij.	Foliorum ſenæ ℥.ij.
Cuſcutæ ℥.s.	Spicę nardi indicę ʒ.iij
Myrobalan.citrearum,	Agarici electi ℥.i.
Cepularum,	Pruna damaſcena nu.l.
Indarũ ana ʒ.ij.	

Macerentur in prædictis ſuccis, fricatis prius myrobalanis oleo amygdalarũ dulcium: Coque igni lento ad tertias, dein adijce

Epithymi ʒ.xl.

Semel feruefiant, colentur, In dimidia parte colaturæ diſſolue

Tamar indorũ recentiũ ℥.iij.	Pulpæ caſsiæ ℥.iiij.
Mannæ ℥.i.s.	Sacchari violati lib.i.

Alteri parti adde

Sacchari optimi lib.iij.

Aceti boni lib.i.

Coquantur lento igni & reliquis admiſceantur, deinde adde

Rhabarbari ℥.ij.	Maſtichis,
Myrobalan.citrinarum,	Cubebarum,
Cepularum,	Spodij,
Indarũ añ.℥.i.	Santali citrini,
Bellericarum,	Seminũ cucurbitæ,
Emblicarũ añ.	Citrulli,
℥.s.	Melonum,
Seminis fumariæ,	Cucumeris añ.ʒ.ij.s.
Trochiſcorũ diarhodon,	Aniſi ℥.s.
Macis,	Spicæ nardi ʒ.ij.

Tenuiſsimè trita inuoluantur oleo violato, & fiat electarium ſecundum artem.

* Aduerſus acutas febres, calidam ventriculi & iecoris intemperiem efficax. Morbis omnibus ex humorum vſtione natis confert, ſitim reſtinguit, icterum calidum ex obſtructione ſanat, ſuffuſionem à vaporibus bilioſis viſui incommodantem diſcutit.

¶Diaturbith Meſuæ.

Recip.

Recip.turbith albi & gummoſi ʒ.x.
Zingiberis ʒ.v.
Maſtiches ʒ.iij.
Sacchari albi ℥.ij.ſ.
fiat electarium cum
Mellis ſufficienti quantitate.

* Pituitã, præſertim eã quæ eſt in ventriculo, elicit.

¶ Diaturbith cum Rhabarbaro, Montagnanæ.

Recip.turbith,
Hermodactylorũ ana ℥.i.
Rhabarbari ʒ.x.
Scãmonij præparati ℥.ſ.
Santali albi,
rubri,
Violarum,
Zingiberis ana ʒ.i.ſ.
Maſtichis,
Aniſi,
Cinnamomi,
Croci ana ʒ.ſ.
Sacchari albi lib.i.℥.iij.
fiat electarium in forma competenti.

* Flauam bilem & pituitam educit, atque aqua intercutem laborantibus mirificè confert.

¶ Catharticum Imperiale, Nicolai.

Recip.ſcammonij præparati,
Sacchari ana ℥.i.
Cinnamomi,
Spicæ nardi,
Radicum ſaxifragiæ,
Polypodij,
Zingiberis ana ℥.ſ.
Spicæ nardi celticæ,
Piperis longi,
Piperis albi,
Cardamomi,
Amomi,
Caryophyllorum ana ʒ.iij.
Terantur omnia tenuiſsimè & fiat electarium cum
Mellis deſpumati q.ſ.

* Bilem vtramq; & pituitam ſine moleſtia educit, caput optimè purgat, & oris ſpiritum commendat.

¶ Diamanna Galeni ex Meſue.

Recip.mannæ electæ lib.i.
Scammonij præparati ℥.i.
Succi roſarum rubrarum lib.i.
Diſſoluatur in ſucco manna, & coquatur ſufficienter lento igne, deinde adde

Maſti-

Maſtiches puluerisatæ ʒ.iij.
fiat electarium.

* Bilem flauam educit ſine moleſtia, ob id omnibus morbis bilioſis ſalubre.

¶ Electarium lenitiuum magiſtrale.

Recip. myrobalanorum flauarum,
Cepularum,
Indarum ana ʒ.ij,
Bellericarum,
Emblicarum ana ʒ.i.s.

Sacchari optimi ℥.s.

Terantur triduũ in vaſe lapideo, ſingulis diebus bis vel ter aquam fontanam inſpergendo, deinde ſiccata terantur in puluerem tenuem, cuius ſumes ℥.i.

Turbith boni ʒ.iij.
Zingiberis ʒ.i.s.
Cinnamomi,
Aniſi,
Sandali rubri ana ʒ.i.
Scãmonij preparati ʒ.i.s.
Sacchari q.ſ.
fiat electarium.

¶ Theriaca Andromachi ſenioris ex Galeno.

Recip. trochiſcorum ſcilliticorum ʒ.xlviij.
Trochiſc. theriacorum,
Hedicroi,
Piperis longi,
Opij ana ʒ.xxiiij.
Roſarũ rubrarũ purgatarũ,
Iridis,
Succi glycyrrhizæ,
Seminis napi ſylueſtris,
Scordij,
Opobalſami,
Cinnamomi,
Agarici ana ʒ.xij.
Myrrhæ,
Coſti,
Croci,
Caſiæ,
Nardi indicæ,
Schœnanthi,
Thuris electi,
Piperis nigri,
Dictamni cretici,
Comarum marrubij,
Rhapontici,
Stœchadis,
Petroſelini,
Calaminthæ montanæ,
Terebinthinæ,
Zingiberis,
Radicũ quinquefolij ana ʒ.vi.
Polij montani,
Chamæpytyos,

Sty-

Styracis,
Meu,
Amomi,
Nardi celticæ,
Terræ lemniæ,
Phu,
Chamædryos,
Folij,
Chalcitidis toſtæ,
Gentianæ,
Aniſi,
Succi hypociſtidis,
Carpobalſami,
Gummi,
Seminis fœniculi,
Cardamomi,
Seſeli,
Acaciæ,
Thlaſpi,
Hyperici,
Ammi,
Sagapeni ana ℥.iiij.
Caſtorij,
Ariſtolochiæ tenuis,
Dauci,
Bituminis iudaici,
Opopanacis,
Centaurij minoris,
Galbani ana ℥.ij.
Mellis deſpumati lib.x.
Vini optimi odorati q. ſatis eſt.

Galeni ætate plus aromatũ admiſcebant ad ſingulas libras mellis,& medicamentũ ſolidius erat,quàm nunc fit.Iam enim ſumunt mellis lib.xx.

Conficitur autem hoc modo ſecundum Galenum.

Herbę,flores,fructus,ſemina,radices,cortices,trochiſci,terra lemnia,chalcitis,& bitumen,diligentiſsimè conteruntur piſtillo ferreo in mortario æneo, & crebro ſubtiliſsimo cribrantur, ſemine thlaſpi, napi ſylueſtris,& croco exceptis,quæ per ſe teruntur, vinoque rigantur,ne mortario interiori inhæreant, & vt commodius conterantur.

Gummi,ſucci,& caſtorium per ſe teruntur,adfuſo vino,vt etiam commodius teri poſsint.

In ipſo compoſitionis tẽpore, omniumque rerum mixtura, Primùm liquefit terebinthina in duplici vaſe cum mellis pauxillo,deinde etiam opopanax,galbanum, ſagapenum, bene anteà per ſe trita adfuſo pauculo melle,vt facilius digitis explanentur, commiſceanturque atque vniantur: Poſteà coquuntur in ipſo duplici vaſe cum terebinthina, donec ad iu-

ſtam

ſtam conſiſtentiam redacta ſint, his admiſcetur pars aliqua cõtritorum, tum etiam in vino diſſolutorum, donec mellis conſiſtentiam conſequantur, deinde in mortarium vaſtæ magnitudinis effunduntur in hunc modum. Primum, pars aliqua eorum quæ vino diſſoluta ſunt, & ad eam formam redacta: deinde mellis nonnihil cocti per ſe & deſpumati: poſtremo, pars aliqua eorum quæ in puluerem redacta fuerant: ad hæc nonnihil eorum quæ liquefacta in duplici vaſe, eaque tepida: Hæc omnia probè agitentur rudicula, & ſic conſequẽter de reſiduo faciendum, donec omnia probè vnita ſint, & hæc quidem ad Solem, vt facilius fiat, continuo agitando, & tundendo pila ferrea inuncta opobalſamo, vt facilius agitari poſsint, & commiſceatur etiam opobalſamum reliquis: alioqui facilè adhæreret piſtillo medicamentum, & difficilior fieret agitatio: Hæc cõtinuè per quatuor aut quinque dies agitanda ſunt, & rurſus elapſis ſex aut ſeptem diebus iteranda agitatio per duos menſes: deinde reponitur medicamẽtum vaſculis plumbeis, aut terreis bene coctis & vitratis.

Chalcitis quę in hoc medicamen venit, ſic præparanda eſt: Illius bona quantitas in olla cruda, ſuccenſis carbonibus coquitur, eaque liquefacta vbi bullas emiſerit, partem ſupernam in marmor effundes, atque illic ſines in vmbra donec frigeat. Hinc poſteà ſolummodo capies quod ſuperne ſpumeum fuerit, quodque cinerei eſt coloris, aut praſsij, non quod flauum eſt, theriacam enim colore flauo, non nigro inficeret.

Hîc autem animaduertendum eſt, omnes theriacę compoſitiones quę apud Galenum varijs locis reperiuntur, & diuerſorũ Authorum, recipere inſuper

Acori ℥.iiij.

Piperis albi ℥.vi.

* Exitialibus venenis, & ferarũ virus eiaculantium

ictibus

ictibus aduerſatur. Inueteratis capitis doloribus, vertigini, aurium grauitati, comitialibus, attonitis, appoplecticisúe, reſolutis, oculorum hebetudinis, voci amiſſæ, aſthmaticis, recenti & vetuſtę tuſsi, ſanguinem reiicientibus, ægrè excreantibus, & nõ niſi recta ceruice ſpirantibus, ventriculi imbecillitatibus ac inflationibus, colicis cruciatibus, ileoſis, cholericis, cœliacis, regio morbo correptis opitulatur. Induratum lienem liquefacit, calculos in renibus cõminuit, vrinæ difficultati, & veſicæ exulcerationibus medetur. Febriũ horroribus & rigoribus, hydropicis, elephantia laborantibus ſæpe præſenti eſt auxilio. Menſtrua cit, fœtum mortuum excutit, articulorum doloribus adiumento eſt. Non autem corpus modò, ſed & animi morbos perſanat. Melancholicis itaque, lymphaticis, aquæ pauoribus, & id genus alijs malis iugiter data ſuccurrit. Cæterũ in peſtifera luë vix aliud præſentius magisque idoneum præſidium hac ipſa inueniri poteſt.

¶Theriaca dia teſſaron Meſuæ.

Recip. gentianæ,	Ariſtolochiæ rot. ana ℥.ij.
Baccarum lauri,	Mellis deſpumati q.ſ.
Myrrhæ,	Coquantur vt artis eſt.

* Ad affectus frigidos, tum cerebri, vt epilepſiam, paralyſin, ſpaſmum cynicum, id eſt, oris torturã: tum ventriculi, vt inflationem, & ab eo dolorem, tardam coctionem: tum denique hepatis, vt hydropem cachexiam, obſtructionẽ: præterea morſui ſcorpionis, & potioni veneni confert.

¶Mithridatium Andromachi ſecundum Galenum.

Recip. glycyrrhizæ ʒ.viij.℈.ſ.

Opij ʒ.iiij.℈.i.	Meu,
Folij,	Roſarum ſiccarum,
Nardi celticæ,	Cardamomi ana ʒ.iiij.
Seminis fœniculi,	Caſtorij,
Gentianæ,	Thuris,

Myrrhæ,	Carpobalſami,
Succi hypociſtidis an̄.ʒ.vi.	Sagapeni ana ʒ.ij.
Polij,	Croci,
Coſti,	Cinnamomi,
Seſeli,	Zingiberis ana ʒ.vij.℈.i.
Caſiæ ana ʒ.v.℈.i.	Styracis ʒ.v.℈.ij.
Nardi indicæ,	Dauci ʒ.vi.℈.s.
Scordij,	Petroſelini ʒ.iiij.s.
Cyphi,	Piperis longi ʒ.iij.s.
Schœnanthi,	Aniſi ʒ.iij.
Opopanacis,	Thlaſpi,
Terebinthinę an̄.ʒ.vi.℈.i.	Opobalſami an̄.ʒ.vi.℈.ij.
Acori,	Galbani ʒ.vij.
Phu,	Scinci ʒ.ij.℈.i.
Hyperici,	Vini optimi quod ſatis eſt,
Acaciæ,	Mellis deſpumati q.ſ.
Gummi,	

Compone in modum theriacæ.

* Ad eadem quæ theriace valet, & ad pleraq; perniciosa medicamenta & venena eſt efficacior: in viperæ autē morſus curatione, theriaca inferior. Priuatim verò facit ad diuturnas ventriculi & thoracis fluxiones, & ad omnes inueteratas in profundo corporis exulcerationes & abſceſſus. Tabidis ventriſq; inflationibus medetur, appetentiam emendat & reſtituit, ac bonum corpori colorem conciliat. Calculos conterit, ac vrinæ difficultatem ſanat, Acuit viſum eorum qui illo crebrius vtuntur. Mortuum fœtum eiicit, & ad muliebria omnis generis mala frigida, atque iis quæ non concipiunt conducit. Item melancholiam non ſinit conſiſtere. Omne denique capitis malum, ex frigiditate ortum, dolores aurium, lachrymantes oculos, dentium cruciatus, oris, palati, auriumque omnia vitia, emplaſtri forma impoſita, ſanat.

¶Mithridatium Damocratis.

Recip.

Recip. myrrhæ.	Seminis dauci,
Croci,	Carpobalſami,
Agaraci,	Cyphi,
Zingiberis,	Bdellij ana ℥.vij.
Cinnamomi,	Nardi celticæ,
Nardi indicæ,	Gummi,
Thuris electi,	Petroſelini,
Thlaſpi ana ʒ.x.	Opij,
Seſeli.	Cardamomi,
Opobalſami,	Seminis fœniculi,
Schœnanthi,	Gentianæ,
Stœchadis,	Roſarum,
Terebinthinæ,	Dictamni cretici ana ℥.v.
Chalbani,	Aniſi,
Coſti,	Ari,
Piperis longi,	Acori,
Caſtorij,	Phu,
Hypociſtidis,	Sagapeni ana ʒ.iij.
Styracis,	Meu,
Opopanacis,	Acaciæ,
Folij ana ʒ.viij.	Scinchi,
Caſiç,	Seminis hyperici an̄.℥.ij.s.
Polij montani,	Vini q. ſ.
Piperis albi,	Mellis deſpumati q.ſ.
Scordij,	Confice ſecundum artem.

¶Diarceuthidon Damocratis ex Galeno.

Recip. baccarum iuniperi ʒ.iiij.
Terræ lemniæ ʒ.ij.
Trita excipiantur
Olei dulcis quantitate ſufficienti.
Alij butyrum recens loco olei ſumunt.

*Accipientem tutum à venenis reddit: nam ſi venenum nō ſubſit quieta manet: ſin adſit,nauſeā concitat,& euomere cogit,ita vt venenum quoque cum antidoto reijciatur.

¶Ambroſia Archibij,ex Galeno deſumpta.

Rcecip.aniſi,	Caſiæ,
Seminis apij ana ℨ.iiij.	Spicæ indicæ ana ℨ.ij.
Myrrhæ,	Croci ℨ.ij.s.
Opopanacis ana ℨ.i.	Piperis ℨ.s.
Cinnamomi,	Opij ℨ.iiij.
Seminis loti amari,	Mellis deſpumati q.ſ.

Confice ſecundum artem.

* Ad omnes internas affectiones vtilis eſt pota: ad inteſtinorū tormina quidem ex vini myrtini,& aquę quarta heminæ parte: ad hepar autem ex aquæ mulſæ hemina dimidia. Item ad vigilias, ophthalmiam, & lateris morbum ex aqua mulſa: ad ſtomachi demum vitia, ex vini granatorum cyathis duobus, & aquæ totidem.

¶Athanaſia Mithridatis ex Galeno.

Rec.piperis albi gr.xl.	Petroſelini ana ℨ.iiij.
Coſti,	Croci,
Mei,	Myrrhæ ana ℨ.viij.
Acori,	Cinnamomi,
Agaraci,	Caſiæ,
Scordij,	Schœnanthi ana ℨ.xij.
Dauci,	Mellis q.ſ.

Compone vt artis eſt.

* Facit ad venena, & omnium venenatorum morſus, quibuſque cibus in ventriculo aceſcit, ſanguinemque reijciunt: antiquas inſuper tuſſes, hepatis, lienis,veſicæ & vteri morbos ſanat.

¶Athanaſia Nicolai.

Recip.cinnamomi,	Betonicæ,
Caſiæ ana ℨ.iiij.Gr.v.	Apij,
Croci,	Dauci,
Schœnanthi,	Aniſi,
Styracis calamitæ,	Opij ana ℨ.i.s. G.iij.
Phu,	Nardi indicæ,
Seſeli,	Folij,
Hyoſcyami,	Caſtorij,

Myrrhæ,

Myrrhæ,
Lapidis hæmatitis,
Carabe,
Sanguinis draconis,
Coralli rubri,
Coſti,
Boli armeni,
Mummiæ,
Conſolidæ maioris,
Terræ ſigillatæ,
Acori,
Aſari,
Corticum mandragoræ,
Polij montani,
Pulegij,
Baccarum lauri,
Mei,
Piperis albi,
Piperis longi,
Petroſelini ana ʒ.s.
Mellis q.ſ.
Confice vt artis eſt.

* Dyſemeria laborantibus & cœliacis confert, atq; ad fluxum muliebrem vtilis eſt. Facit ad profluuium ſanguinis narium, & eos qui cibum non retinent in ventriculo. Sanguinis præterea à quacunque cauſa natis reiectionibus auxiliatur.

¶Paulina ex Galeno.

Recip. cinnamomi,
Coſti,
Galbani,
Caſtorij,
Opij,
Piperis nigri,
Piperis longi,
Styracis ana ʒ.i.
Mellis q.ſ.

Tunduntur quæ tundenda ſunt, & cribrãtur per anguſtiſsimum cribrum, galbanum in melle diſſoluitur, & factum electarium in conſiſtenti forma reponitur in pyxidem vitream aut argenteam.

* Facit hæmoptoicis, tuſsientibus, phthiſicis, peripneumonicis, ad conuulſa, rupta, ſtomachi ſubuerſionem, bilem vomentes, ac ſecernentes, cœliacos, dyſentericos, ad affectiones circa veſicam, ſuffocationes vteri, febres per circuitum repetentes, hora vna ante exacerbationem exhibita, facit in malum habitũ delapſis, cibũ non ſentientibus, ac pharmaca lethalia & plagas venenũ iaculantium beſtiarum.

¶Philonis Tharſenſis Antidotus ex Galeno, ſimilis ei quam Meſues deſcribit.

Recip. croci ʒ.v.	Piperis albi,
Pyrethri,	Seminis hyoſcyami an.ʒ.
Euphorbij,	Opij ʒ.x. (xx.
Nardi indicæ ana ʒ.i.	Mellis q.ſ.

Confice ſecundum artem.

* Expertiſsima ad ſedandos vehementes & lethales partium dolóres, ventriculi, cœli, hypochondriorum, hepatis, lienis, renum, vteri, excitatos à crudis humoribus aut flatu craſſo, aut ambrorum cauſa intemperie frigida: valet etiam ad ſuffocationis periculum, ſingultű vehementé, & vrinæ difficultatem.

¶Philonium Romanum Nicolai.

Recip. piperis albi,	Croci ʒ.s.
Seminis hyoſcyami ana (ʒ.v.	Nardi indicæ,
Opij ʒ.ij.s.	Pyrethri,
Caſiæ ʒ.i.s.	Zedoariæ, ana G. xv.
Seminis apij ʒ.i.	Cinnamomi ʒ.i.s.
Petroſelini,	Euphorbij,
Seminis fœniculi,	Coſti ana ʒ.i.
Dauci ana ℈.ij. G.v.	Mellis deſpumati q.ſ.

Confice &c.

* Idem quod præcedens poteſt.

¶Philonium Perſicum Meſuæ.

Recip. piperis albi,	Pyrethri,
Hyoſcyami ana ʒ.xx.	Margaritarum,
Opij,	Carabe,
Terræ lemniæ ana ʒ.x.	Doronici,
Lapidis hæmatitis,	Zedoariæ,
Croci ana ʒ.v.	Trochiſcorum ramich
Caſtorij,	ana ʒ.i.
Nardi indicæ,	Camphoræ ℈.i.
Euphorbij,	Mellis q.ſ.

* Ad ſanguinem vndecunque manantem confert: quapropter menſes immodicè erumpentes, hæmorrhoidas, & cruentas excretiones per inferna: itemq; ſanguinis ſputű cópeſcit, ac fœtum in vtero retinet.

¶Tryphera magna Nicolai.

Recip. opij ℥.ij.	Corticum mandragoræ,
Cinnamomi,	Nardi celticæ,
Caryophyllorum,	Roſarum rubrarum,
Galangæ,	Piperis,
Nardi indicæ,	Aniſi,
Zedoariæ,	Apij,
Zingiberis,	Petroſelini,
Coſti,	Fœniculi,
Styracis calamitæ,	Dauci,
Calami aromatici,	Hyoſciami,
Calaminthæ,	Cymini,
Iridis,	Seminis ocymi ana ℥.i.
Peucedani,	Mellis deſpumati q.ſ.
Acori,	

* Auxiliatur dolori ſtomachi ex frigiditate, ſumpta namque ſtatim ſudorem prouocat, phreneticis, mulieribus ex vteri dolore inſomnibus, rheumaticis, peripneumonicis, & qui excrementa cum ſanguine excernunt vtiliſsima eſt.

¶Requies Nicolai.

Recip. roſarũ rubrarũ,	Nucis moſchatæ,
Violarum ana ℥.iij.	Cinnamomi,
Opij,	Sacchari ana ℥.i.s.
Hyoſcyomi,	Santali albi,
Papaueris albi,	rubri,
Papaueris nigri,	citrini,
Corticis mandragoræ,	Spodij,
Seminum ſcariolæ,	Tragacanthæ ana ℈.ij.
Lactucæ,	Gr.v.
Portulacę,	Mellis deſpumati q. ſ.
Pſyllij,	

Conficę ſecundum artem electarium.

* Ad febres continuas & ardentes, omnemque febrilem affectum, ad febres denique acutas confert. Eſt autem vtilis temporibus & pulſibus manuũ in-

uncta, ac cordis dolorẽ mitigat, ſomnumq́; conciliat.

¶Sotera Pauli.

Recip. nardi indicæ,
Caſtorij ana ℈.xxxix.
Myrrhæ ℈.xxvij.
Croci ℈.xxxvij.
Opij,
Schœnanthi ana ℈.xxxvi.
Petroſelini ℈.xlv.
Aniſi ℈.ix.
Apij ℈.vij.
Caſiæ ℈.xij.
Piperis longi,
Amomi,
Seſeli ana ℈.xij.
Siſonis ℈.vi.
Styracis,
Hedycroi,
Coſti,
Aſari ana ℈. xviij.
Mellis q.ſ.

PVLVERES.

Sectio ſexta.

¶Puluis aduerſus flatus magiſtralis.

Recip. coriandri præparati,
Aniſi purgati ana ℥.ij.
Sacchari optimi ℥.iiij.
Cinnamomi ʒ.ij.
Caryophyllorum ʒ.i.
Macis ℈.s.
fiat puluis tenuiſsimus.

¶Alius ad idem magiſtralis.

Recip. cinnamomi electi ℥.i.
Zingiberis ℥.s.
Cymini,
Piperis,
Galangæ,
Caryophyllorũ ana ʒ.ii.
Sacchari optimi lib.i.
fiat puluis tenuiſsimus.

¶Alius ſimilis magiſtralis.

Rec. cinnamomi ʒ.i.s.
Zingiberis ℥.i.
Macis ℈.s.
Nucis moſchatæ G.viij.
Sacchari albi ℥.ij.
fiat puluis tenuiſsimus.

¶Puluis Senæ præparatæ, Montagnanæ.

Recip. foliorum ſenæ ℥.i.s.
Zingiberis,

Macis

Macis ana ʒ.iij. Tartari ana ʒ.i.s.
Cinnamomi, terantur tenuiſsimè.

* Purgat caput mirabiliter.

¶Puluis è turbith magiſtralis.

Recip.turbith boni ʒ.i. Hermodactylorum ʒ.s.
Zingiberis albi ℈.ij. Sacchari albi ℥.s.
fiat puluis.

¶Alius Auicennæ.

Recip.zingiberis albi, Turbith electi ana ʒ.x.
Maſtiches electæ, Sacchari albi ʒ.xxx.
Trita miſceantur.

* Purgant humores phlegmaticos, datur pueris, mulieribus, ſenibus, & humidis, delicatis, & ocioſis.

¶Puluis laxatiuus magiſtralis.

Recip.turbith ℥.i. Aniſi,
Zingiberis, Hermodactylorum,
Cinnamomi, Scammonij præparati
Maſtiches, ana ℥.s.
Galangæ, Foliorum ſenæ ℥.ij.
Cardamomi, Sacchari albi ℥.iiij.
Caryophyllorum,
Terantur omnia & commiſceantur.

* Purgat choleram, pituitam & melancholiam.

¶Puluis ad ſuppoſitoria communia magiſtralis.

Recip. aloës, Salis gemmæ,
Cymini, Rutæ ana ʒ.i.
Terantur & fiat glans cum Mellis q.ſ.

¶Alius acutior.

Recip.aloës, Cymini,
Hellebori nigri, Rutæ ana ℈.ij.
Centaurij, fiat puluis vt ſuprà.

¶Alius, & ſedans dolorem.

Recip.cymini, Caſtorij,
Rutæ, Opij ana ʒ.i.
fiat puluis qui melle excipiatur.

¶Puluis capitalis calidus Magiſtralis.

Recip. ſtœchadis,
Nucis moſchatæ,
Betonicæ,
Radicum betonicæ,
Seſeleos,
Maioranæ,
Ligni aloës,
Caryophyllorum ana ʒ.i.
Moſchi,
Ambræ ana G.ij.
fiat puluis.

¶Puluis capitalis temperatus.

Recip. roſarum,
Santali albi,
Labruſcæ,
Betonicæ,
Stœchadis,
Radicum pæoniæ,
Saluiæ,
Maioranæ,
Caryophyllorum,
Sandaracæ ana ʒ.i.
Terantur tenuiſsimè.

¶Puluis ad dentifricia.

Recip. cornu ceruini vſti,
Punicis,
Tutiæ præparatæ,
Cinnamomi,
Sideritidis toſtæ ana ʒ.i.
Moſchi, Gr.vi.
miſce fiat puluis.

¶Puluis pro epithemate cordis refrigerans.

Recip. ſantali albi,
rubri,
citrini ana ℥.s.
Been albi,
rubri,
Serici grano tinctorio infecti,
Oſsis è corde cerui ana ℥.i.
Sericum minutim incidatur, reliqua per ſe terantur, miſce, conſerua in pixide vitrea.

¶Alius excalfaciens.

Recip. ſantali albi,
rubri,
citrini ana ʒ.ij.
Been albi,
rubri,
Serici grano tinctorio infecti,
Oſsis de corde cerui ana ʒ.i.

Croci

Croci,	Ligni aloës ana ℥.s.
Cinnamomi,	Ambræ,
Caryophyllorum,	Moſchi ana ℈.i.
Conſice vt ſuprà.	

¶ Alius temperatus.

Recip. roſarum rubrarum,	
Coralli rubri,	Croci,
Corticum citri,	Caryophyllorum,
Oſsis de corde cerui,	Cinnamomi,
Seri grano tinctorum in-	Ligni aloës ana ℈. i.
fecti ana ʒ.i.	Ambræ ℈.s.
Santali albi,	Camphoræ ℈.ij.
rubri,	Terantur vt ſuprà.
citrini ana ℥.s.	

¶ Species pro Epithemate hepatis refrigerantes.

Rec. ſantali albi,	Coralli,
rubri,	Spodij ana ʒ.i.
citrini aã. ℥.s.	Camphoræ ℈.i.
Roſarum,	Terantur vt ſuprà.

¶ Aliæ excalfacientes.

Recip. roſarum,	Spodij,
Santali albi,	Nardi indicæ,
rubri,	Cinnamomi ana ℥.s.
Abſinthij,	Moſchi ℈.i.
Schœnanthi,	fiat puluis tenuis.

¶ Puluis aduerſus Peſtem Magiſtralis.

Recip. dictãni Cretẽſis,	Boli,
Coralli albi,	Gentianæ ana ℥.i.
Tormentillæ,	Terræ lemniæ ℥.s.
fiat puluis tenuis.	

¶ Alius.

Rec. radicũ tormẽtillę,	Dictamni cretenſis,
Santali citrini,	Cornu ceruini vſti,
Terræ lemniæ,	Margaritarum,
Sacchari albi ana ℥.ij.	Roſarum rubrarum,
Santali rubri,	Boli,

Ariſto-

Ariſtolochiæ rotundæ, Camphoræ,
Pimpinellæ, Seminum citri,
Myrrhæ, Croci,
Zodoariæ ana ʒ.i. Hyacinthi ana ʒ.s.
fiat puluis tenuis.

¶Puluis contra ſcabiem communis.

Recip.ſulphuris flaui, Baccarum lauri,
Cimini, Staphidis agriæ ana ℥.i.
fiat puluis qui oleo roſato excipiatur.

¶Alius Nicolai, efficacior.

Recip. lythargyri, Nitri,
Hellebori nigri ana ʒ.i. Maioranæ ana ʒ.ij.
Sulphuris,
Trita in puluerem excipiantur, &c.

¶Puluis cephalicus Lucij ex Galeno.

Recip.iridis ʒ.iiij. Corticis radicum panacis ʒ.iiij.
Ariſtolochiæ rotundæ,
Pollinis thuris ana ʒ.ij. fiat puluis.
* Vtilis eſt etiam ad nomas.

¶Alius ex Galeno.

Recip.iridis, Erui,
Ariſtolochiæ rot. Pollinis thuris ana ʒ.i.
Reducantur in puluerem tenuem. Nonnulli addunt radices panacis & cadmiam lotam,

¶Alius Xenocratis ex Galeno.

Recip.farinæ erui, xorobi ʒ.viij.
Iridis ʒ.x. Ariſtolochiæ rot.
Thuris clari, Squamæ æris ana ʒ.v.
Terantur vt ſuprà.

¶Alius Tryphonis.

Recip.corticis piceæ, Ariſtolochiæ rot.
Squamæ æris, Reſinæ pini frictæ ana ʒ.iiij.
Punicis cõbuſti ana ʒ.vi.
Thuris, Aloẽs,
Iridis, Myrrhæ ana ʒ.ij.
Conterantur in puluerem vt ſuprà.

* Auferr

* Aufert ſquamas oſsium.

¶ Puluis conſtringens Galeni.

Recip. aloës, Lapidis hæmatidis,
Mannæ thuris, Hypociſtidis,
Corticis pini, Croci,
Terræ lemniæ, Gallę omphacitidis añ. ʒ.i.
Boli armeni, fiat puluis.

¶ Puluis emplaſticus eiuſdem, & ſanguinē ſiſtens.

Recip. reſinæ frictæ, Crypſi ana ʒ.iij.
Pollis farinę triticeæ, fiat puluis.

¶ Alius eiuſdem ad omnē hæmorrhagiam.

Recip. thuris ℥.i.
Aloës ℥.s.
fiat puluis, qui cum oui albumine ſubactis ad mellis craſsitiem pilis molliſsimis leporis excipietur.

¶ Puluis incarnans, & ſanguinem reſtringens, Ioannis de Vigo.

Recip. aloës, Sanguinis draconis,
Myrrhæ ana ʒ.i. Terræ lemniæ ana ʒ.ij.s.
Sarcocollæ ʒ.i.s. Tutiæ,
Thuris, Lytargiri,
Pollinis farinæ ana ʒ.ij. Tragacanthæ añ. ʒ.i.
fiat puluis tenuis.

¶ Puluis cauſticus ſanguinem comprimens Galeni.

Recip. chalcitidis ℈.c. Miſyos torrefacti ℈.xxv.
Chalcanthi ℈.l. Aeris vſti ℈.xij.s.
fiat puluis.

¶ Alius eiuſdem.

Recip. chartę cōbuſtę, Arſenici,
Plumbi vſti, Squamæ ferri ana ℥.i.
Aeris vſti, Sulphuris viui ℥.s.
fiat puluis.

¶ Præcipitatum Ioannis de vico.

Recip. ſalis nitri lib.i.s.
Vitrioli Romani,

Alu-

Aluminis ana lib.i.

Ex his per alembicũ deſtillatis (quo fortius autem, eò melius) ſumes lib.i.

Argenti viui lib.i.

In vas vitreum pone cum capello bene lutato, ſic etiam recipiens lutabis, ne euaporet, & deſtillabis eouſque, donec vas rubeſcat: aquam ſepones, & fracto vaſe argentum quod ſupereſt vſtum erit, quod chymiſtæ præcipitatum vocant, hoc tenuiſsimè terito in marmore, & cum aqua deſtillata quam ſepoſueras rurſus vaſi vitreo impónito, atque deſtilla donec aqua deſtillata ſit: tum confracto vaſe, argentum quod ſupereſt, denuo teres in tabula marmorea, & ipſum in æneo vaſe repones, ſuppoſitoque igne valido, cum æneo baculo miſce ac agita, per horæ ac dimidiæ ſpatiũ: hoc enim pacto puluis melior efficitur, & ritè factus ipſum miniũ coloris elegantia ſuperat.

CATAPOTIA, ſiue PILVLAE.

Sectio ſeptima.

¶Pilulæ bechicæ Meſuæ.

Recip. ſucci glycyrrhizæ,
Sacchari albi ana ʒ.x.
Amyli,
Tragacanthæ,
Amygdalarum dulcium ana ʒ.i.ſ.
Muccaginis ſeminis cydoniorum q.ſ.
Tere fiant pilulæ.

* Ad tuſsim veterem & ſiccam, gutturiſque & faucium aſperitatem pollent.

¶Pilulæ bechicæ Raſis.

Recip. amyli,

Tra-

Tragacanthæ, Capitum papaueris,
Amygdalarũ purgatarũ, Gummi arabici,
Fabarũ decorticatarum, Boli armeni ana ʒ.ij.
Seminis papaueris, Muccaginis pſyllij q.ſ.

¶Pilulæ bechicæ albæ magiſtrales.

Recip.ſacchari candi, Penidiorum ℥.iij.
Amyli ana ℥.vi. Tragacanthæ ℥.ij.
Tragacantha diſſoluatur in aqua roſacea per diem,& fiant pilulæ.

¶Pilulæ bechicæ emplaſticæ Galeni.

Recip.gummi, Succi glycyrrhizæ ℥.i.
Tragacanthæ ana ℥.s. Sapæ q.ſ.
fiant pilulæ.

¶Pilulæ bechicæ cum terebinthina Galeni.

Recip.piperis, Galbani,
Caſiæ, Terebinthinæ ana ʒ.i.
Cinnamomi ana ʒ.ij. Mellis deſpumati q.ſ.
fiant pilulæ.

¶Pilulæ communes.

Recip. aloẽs ℥.i. Croci ana ℥.s.
Myrrhæ, Vini albi q.ſ.
fiant pilulæ. alijs croci ʒ.ij.ſatis eſſe videntur.

* Mirificè aduerſus peſtiferæ luis cõtagia populatim graſſantia pollent. Humores etiam ventriculo immerſos educunt.

¶Pilulæ contra peſtem Magiſtrales.

Recip.myrrhæ, Myrobalanorum cepularum ʒ.ij.
Croci,
Boli armeni, Aloẽs ʒ.vij.
Coralli rubri, Vini albi q.ſ.
Charabe ana ʒ.i. fiat maſſa.

¶Pilulæ de Hiera ſimplici Galeni.

Recip.ſpecierum de hiera ſimpl.Gal.℥.ij.
Mellis roſati colati q.ſ.
fiat maſſa.

* Aduerſus vitia vẽtriculi ex humoribus bilioſis & pitui-

pituitoſis nata proſunt.

¶Pilulæ de Hiera cum Agarico.

Recip.ſpecierum de hiera ſimpl. Gal.
Agarici trochiſcati ana ʒ.iiij.
Aloës ℥.i.
Mellis roſati colati q.ſ.
fiant pilulæ.

* Auxiliantur ſtomachicis, aſthmaticis, & alijs ſtomachi & thoracis vitijs à craſsis & pituitoſis humoribus natis.

¶Pilulæ de Hiera cum Agarico Magiſtri Antonij de Scarperia.

Recip.cinnamomi,	Violarum,
Nardi indicæ,	Epithymi,
Croci,	Colocynthidis ana ʒ.i.
Schœnanthi,	Agarici,
Aſari,	Turbith ana ʒ.ij.
Maſtichis,	Rhabarbari,
Caſiæ,	Scammonij præparati,
Xylobalſami,	ana ʒ.iiij.
Carpobalſami,	

Confice cum vino albo & theriaca.

* Opem ferunt vitijs capitis neruorumq́ue, & ſtomachi cruditatibus.

¶Pilulæ ad matricem Auicennæ.

Recip.doronici,	Seminis apij,
Zedoariæ,	Anethi,
Nucis moſchatæ,	Margaritarum ana ℈.iiij.
Caſtorij ana ʒ.i.	Hyoſcyami G.iij.

fiant pilulæ cum aquæ arthemiſiæ q.ſ.

¶Pilulæ Galeni, ſimiles Alephanginis.

Recip.cinnamomi,	Xylobalſami,
Calami aromatici,	Schœnanthi,
Caſiæ,	Dactylorum ana ℥.i.

Trita omnia, macerentur in aquæ pluuiæ ſufficienti quantitate in olla noua, deinde excoquantur ad medias,

dias, Cola & colaturæ impone aloës ſæpius lotæ in aqua pluuia,& pulueriſatæ lib.i.

Permiſceantur, & inſolentur per dies caniculæ, donec exſiccata ſint, deinde addita

Croci, Maſtichis ana ℥.i.
Myrrhæ, Miſce, fiant pilulæ.

* Idem præſtant quod ſubſequentes.

¶Pilulæ Alephanginæ Meſuæ.

Recip. cinnamomi, Aſari,
Cubebarum, Maſtichis,
Ligni aloës, Schœnanthi,
Calami aromatici, Nardi indicæ,
Macis, Carpobalſami ana ℥.i.
Nucis moſchatæ, Abſinthij,
Cardamomi, Roſarũ rubrarum añ.ʒ.v.
Caryophyllorum,

Terantur craſsius, & in libris duodecim aquæ communis per diem macerata, coquãtur ad dimidij conſumptionem, deinde fricentur & colentur, & in colaturę lib.ij. inijce

Aloës ſæpius lotæ ſecundum artem, & in puluerem redactæ lib.i.

Inſolabis donec ſiccentur ſæpius agitando, & addes

Myrrhæ,
Maſtiches ana ʒ.v.
Croci ʒ.iij.

Tere curioſè, prædicti decocti reliquum ipſis affunde, agita in Sole, donec ſiccentur, & in iuſtam craſſitiem reducantur, vt fieri poſsint pilulæ ſecundum artem.

Confici debent hæ pilulæ menſe Iunio aut Iulio.

* Ventriculum, cerebrum, & ſenſoria humoribus craſsis, putribus, pituitoſis purgant, & inde natum dolorem diſsipant, ventriculum roborant, & concoctionem eius iuuant.

¶Pilulæ de tribus.

Recip. rhabarbari,
Agarici,
Aloës lotæ ana ʒ.ij.s
fiant pilulæ cum ſyrupo roſato.

¶Pilulæ ex Rhabarbaro Meſuæ.

Recip. rhabarbari electi ʒ.iij.
Succi glycyrrhizæ,
Abſinthij,
Maſtiches ana ʒ.i.
Myrobalanorum flauarum ʒ.ij.s.
Seminis apij,
Fœniculi ana ʒ.s.
Trochiſcorum diarhodon ʒ.iij.s.
Specierum hieræ ſimplicis ʒ.x.
Aquæ fœniculi q.ſ.
fiant pilulæ.

* In febribus diuturnis, iecinoris obſtructio nibus, & aquæ inter cutem initijs conferunt.

¶Pilulæ Maſtichinæ Conciliatoris.

Recip. maſtiches ʒ.iiij.
Agarici ʒ.iij.
Aloës ʒ.x.
Agaricum elimatum aut eraſum maceratur in oxymelite, fiuntque pilulæ.

* Ventriculum, cerebrum, viſcera reliqua, oculos, vterum putribus humoribus purgant & roborant.

¶Pilulæ Aſſaieret Auicennæ ex Gentile.

Recip. pulueris hieræ picræ Gal. ʒ.ij.
Maſtiches, Aloës ʒ.iiij.
Myrobalanorũ.añ.ʒ.i. Succi aut aquę maioranę q.ſ.
fiant pilulæ.

* Bilem flauam & pituitam vacuant.

¶Pilulæ ex fumaria Auicennæ.

Recip. Myrobal. flauarum,
Cepularum,
Indarum ana ʒ.v.

Aloës

Aloës ℥.vij.
Scammonij præparati ʒ.v.
Succi fumariæ q.ſ.
Omnia in puluerem redacta comprehende ſucco,& ſiccari ſinito: rurſus trita ſucco excipiantur, ſiccētur: & ſic tertiùm.& in pilulas formentur.

* Soluunt humores acres,bilioſos,pituitam ſalſam, & alios aduſtos,à quibus pruritus & ſcabies.

¶Pilulæ ex Agarico Meſuæ.

Recip.agarici ʒ.iij.	Specierum hieræ picræ,
Maſtiches,	ʒ.iiij.
Iridis,	Myrrhæ ʒ.i.
Marrubij ana ʒ.i.	Colocynthidis,
Turbith ʒ.v.	Sarcocollæ ana ʒ.ij.

Agaricum lima in puluerem redigitur: reliqua contunduntur, fiuntque pilulæ cum
Sapæ ſufficienti quantitate.
Colocynthidis loco, ſatius erit trochiſcos alhandal ſumere.

* Auxiliantur aſthmaticis, & alijs thoracis vitijs à craſsis & pituitoſis humoribus natis.

¶Pilulæ Aggregatiuæ Meſuæ.

Recip.Myrobalanorum flauarum,	
Rhabarbari ana ℥.s.	Turbith,
Succi eupatorij,	Aloës ana ʒ.vi.
Abſinthij ana ʒ.iij.	Maſtiches,
Scāmonij pręparati ʒ.vi.	Roſarum rubrarum,
Myrobal.cepularum,	Salis gemmæ,
Indarum,	Epithymi,
Agarici,	Aniſi,
Colocynthidis,	Zingiberis ana ʒ.i.
Polipodij ana ʒ.ij.	

Craſsiuſculè omnia conterantur, & fiant pilulę cum Electuarij roſati Meſuæ q.ſ.

* Valent ad diuturnas febres, & vitia capitis, ventriculi, & iecinoris.Humores item bilioſos, & pitui-

toſos educunt.

¶ Pilulæ ſine quibus Nicolai.

Rec. aloës lotę ʒ.xiiij.
Myrobal. flauarum,
Cepularum,
Indarum,
Bellericarum,
Emblicarum,
Rhabarbari,
Maſtiches,
Abſinthij,
Roſarum,
Violarum,
Senæ,
Agarici,
Cuſcuthæ ana ʒ.i.
Scammonij præparati ʒ.vi.s.

Macerato ſcammonio in ſucci fœniculi q.ſ. Infuſionem, panno lineo colligatam fortiter exprime manibus oleo violato inunctis, & cum expreſſione fiat maſſa.

* Mirificè pituitam, bilem & humorem melancholicum purgant, & ad ſuffuſiones, oculorumque claritatem conducunt, viſum conſeruantes: aurium dolorem ſanant, & ileoſis conferunt.

¶ Pilulæ Lucis minores Meſuæ.

Recip. xylobalſami,
Carpobalſami ana ʒ.i.
Radicũ chelidonię ʒ.v.
Roſarum,
Violarum,
Abſinthij,
Euphraſiæ ana ʒ.iij.
Senæ,
Epithymi,
Myrobal. flauarum,
Cepularum,
Indarum,
Bellericarum,
Emblicarum,
Agarici,
Schœnanthi,
Lycij,
Lapidis lazuli ana ʒ.ij.s.
Aloẽs lotæ ℥.vi.
Succi fœniculi, aut chelidoniæ q.ſ.
fiat maſſa.

* Excrementa capitis pituitoſa educunt, viſumque roborant, Atram tamen bilem magis vacuant.

¶ Pilulæ Aureæ Nicolai.

Recip. aloës,
Scammonij præparati ana ʒ.v.
Roſarum rubrarum,

Seminis

Seminis apij ana ʒ.ij.ſ. Croci,
Seminis fœniculi, Pulpæ colocynthidis,
Aniſi ana ʒ.i.ſ. ana ʒ.i.
Maſtiches,
Trita craſsius excipiantur tragacantha macerata in aqua fœniculi.

* Caput expurgant, aciem oculorum exacuunt, flatus ventriculi & inteſtinorũ diſſoluunt, ac citra moleſtiam aluum deijciunt.

¶ Pilulæ ex Turbith aureæ Meſuæ.

Recip. aloës ʒ.xij.
Maſtiches,
Roſarum rubrarum ana ʒ.vij.
Myrobalanorum flauarum ʒ.x.
Croci ʒ.iiij.
Turbith gummoſi ℥.xvi.
Puluerentur & cum
Succi abſinthij q.ſ. fiat maſſa.

* Bilem & pituitam ſine moleſtia purgant: hepar & ventriculum roborant, coctionem iuuant.

¶ Pilulæ cochiæ Rhaſis.

Recip. ſpecierum de hiera ſimplici ʒ.x.
Pulpæ colocynthidis ʒ.iij.℈.i.
Scammonij præparati ʒ.ij.ſ.
Turbith,
Stœchadis ana ℥.v.
Vini albi q.ſ. fiat maſſa.

* Caput magna efficacia expurgant, ex eoque ac neruis humores craſſos euacuant.

¶ Pilulæ ex Colocynthide Galeni.

Recip. colocynthidis,
Succi abſinthij ana ℥.ſ.
Aloës,
Scammonij præparati ana ℥.i.
Rhabarbari electi ʒ.iij.
Trita omnia ſucco excipiantur.

Addidimus rhabarbarum.

* Pituitam à cerebro & alijs neruoſis vacuant: ob id conferunt dolori capitis frigido.

¶Pilulæ Alhandal. Meſuæ.

Recip. trochiſcorum alhandal ℥.xij.
Specierum de hiera ſimpl. ℥.vij.
Maſtiches ℥.ij.
Salis gemmæ ℥.i.s.
Ladani ℥.i.
Ladanum, & maſtiche inuncta oleo nucum tundantur piſtillo calido in mortario æneo: deinde reliqua trita addantur, & fiant pilulæ.

* Ad cephalæam, & hemicraniam difficilem, & affectus neruorum, & iuncturarum.

¶Pilulæ de Hermodactylis Meſuæ.

Rec. hermodactylorũ,	Caſtorij,
Myrobalanorum citrinarum,	Sarcocollæ,
	Euphorbij,
Aloês,	Opopanacis,
Turbith,	Seminis rutæ,
Colocynthidis,	Seminis apij ana ℥.iij.
Bdellij,	Croci ℥.i.s.
Sagapeni ana ℥.vi.	Succi braſsicæ q.ſ.

fiat maſſa.

* Valent ad podagram, & dolores frigidos aliarum iuncturarum.

¶Pilulæ ex Turbith Meſuæ, Catapotia ſtomachica dicta.

Recip. turbith gummoſi ℥.x.
Maſtiches ℥.iiij. Aloës ℥.ij. ℥.i.
Roſarũ rubrarum ℥.iii. Succi abſinthij q.ſ.
fiat maſſa.

* Materiam pituitoſam, putrem, & aquoſam ex ventriculo & cerebro vacuant.

¶Pilulæ Indæ Meſuæ.

Recip. myrobalanorum indarum,

Hellebori

Hellebori nigri,
Polypodij ana ʒ.v.
Epithymi,
Stęchadis ana ʒ.vi.
Agarici,
Lapidis lazuli lauati,
Colocynthidis,
Salis indi ana ʒ.iiij.
Succi eupatorij,
Nardi indicæ ana ʒ.ij.
Zingiberis ʒ.i.
Specierũ de hiera ſimpl.
℥.i.ʒ.iiij.
Succi apij q.ſ.
fiat maſſa.

* Valent ad affectus melancholicos, cancrum non vlceratum, elephantiam, alphos nigros curatu difficiles, melancholiam morbum, & inde ortum timorem & męrorem, quartanam, icterum ſplenicum, & ſplenis dolorem.

¶Pilulæ fętidæ maiores Meſuæ.

Recip. ſagapeni,
Ammoniaci,
Opopanacis,
Bdellij,
Colocynthidis,
Harmel,
Aloës,
Epithymi ana ʒ.v.
Hermodactylorum,
Eſulæ ana ʒ.ij.
Scãmonij præparati ʒ.iij.
Turbith ʒ.iiij.
Cinnamomi,
Nardi indicæ,
Croci,
Coſti ana ʒ.i.
Zingiberis ʒ.i.s.
Euphorbij ℈.ij.
Diſſoluantur lachrimæ in ſucco porri, & fiat maſſa.

* Vacuant pituitam craſſam, crudam: ob id conferunt affectibus inde natis, arthritidi, podagræ, gonagræ, dolori ſpinæ & aliarum iuncturarum, ventriculi, colico, alphis, elephantiæ, alijsque cutis vitijs.

¶Pilulæ fętidæ minores Meſuæ.

Recip. ſagapeni,
Ammoniaci,
Opopanacis,
Bdellij,
Myrrhæ ana ʒ.v.
Turbith ʒ.x.
Colocynthidis ʒ.vi.
fiant vt priores.

* Idem pollent.

¶Pilulæ Arabicæ Nicolai.

Recip. aloës ℥.iiij.

Radicum bryoniæ,	Roſarum,
Scammonij præparati,	Maſtiches,
Myrobal. citrinarum,	Aſari ana ℥.i.
Cepularum,	Caſtorij ʒ.iij.
Indarum,	Croci ʒ.i.
Bellericarum,	Succi fœniculi q.ſ.
Emblicarum,	fiat maſſa.

* Valent ad capitis dolorem, vertiginem, hemicramiamque, lætitiam generant, mentiſque vigorem conſeruant, viſum acuunt, auditumque amiſſum reparant, ac ſtomachum à vitioſis humoribus purgãt.

¶Pilulæ ex Sagapeno Meſuæ.

Recip. ſagapeni,	Caſtorij,
Ammoniaci,	Rutæ agreſtis ana ʒ.ij.
Bdellij,	Colocynthidis ʒ.iij.
Opopanacis,	Salis gemmæ ʒ.i.
Aloēs,	Cum ſucci porri q.ſ.

fiat maſſa.

* Pituitam lentam purgant: ob id iuuant paralyſim, ſpaſmum, dolorem iuncturarum, dorſi, podagramque frigidam.

¶Pilulæ ex Bdellio Meſuæ.

Recip. bdellij ℥.i.s.	Concharũ venerearum vſtarum,
Myrobal. cepularum,	
Indarum,	Charabe ana ʒ.ij.s.
Bellericarum,	Ammi ʒ.iij.
Emblicarum,	Succi porri q.ſ. excipiãtur.

* Ad fluxum hemorrhoidum & vlcerum in eis, & ad menſes immodicos.

¶Pilulæ de Sarcocolla Meſuæ.

Recip. ſarcocollæ ʒ.iij.	Zingiberis ana ʒ.i.s.
Turbith ʒ.iiij.	Salis gemmi ʒ.i.
Colocynthidis,	Aquæ roſarum q.ſ.

fiat maſſa.

* Pituitam vacuant, ob id pituitoſis affectibus commodant.

¶Pilulæ

¶Pilulæ de Euphorbio Meſuæ.

Recip.euphorbij,	Sagapeni ana ʒ.ij
Agarici,	Aloës ʒ.v.
Colocynthidis,	Succi porri q.ſ.
Bdellij,	

* Pituitam frigidam & crudam ad neruos fluētem vacuant:ob id conferunt paralyſi.

¶Pilulæ ex Opopanace Meſuæ.

Recip.opopanacis,	Piperis longi,
Hermodactylorum,	Caſiæ,
Sagapeni,	Myrobal.citrinarum,
Bdellij,	Indarum,
Ammoniaci,	Bellericarum,
Colocynthidis ana ʒ.v.	Emblicarũ añ.ʒ.i
Croci,	Scãmonij præparati ʒ.ij.
Caſtorij,	Turbith ℥.s.
Myrrhæ,	Aloës ℥.i.s.
Zingiberis,	Succi braſsicæ q.ſ.
Piperis nigri,	fiat maſſa.

* Ad paralyſim,ſpaſmum cynicum, gonagram,podagram,& aliorum articulorum dolores, morbosq; partium neruoſarum frigidos,vtiles ſunt.

¶Pilulæ de lapide Lazuli Meſuæ.

Recip.lapidis lazuli loti ʒ.v.	
Epithymi,	Scammonij præparati,
Polypodij ana ℥.i.	Hellebori nigri,
Caryophyllorum,	Salis indi ana ʒ.ij.s.
Aniſi ana ℥.s.	Agarici electi ℥.i
Specierũ hierę ſimpl.ʒ.xv.	Succi endiuiæ q.ſ.
fiat maſſa.	

* Valent ad affectus melancholicos, & bile vſta natos.

¶Pilulæ ex lapide Armeno Meſuæ.

Recip.lapidis armeni loti,
Specierum hieræ ana ʒ.v.
Polypodij,

Epithymi ana ℥.i.	Salis indi ʒ.i.s.
Scãmonij præparati ʒ.iij.	Succi ſolani q.ſ.
Caryophyllorum ʒ.ij.	fiat maſſa.

*Melancholiã, & bilem vſtam multiplicẽ vtramq; clementer vacuant : ob id morbis inde natis conferunt.

¶Pilulæ è ſex rebus Galeni.

Recip. aloës,	Bdellij,
Scammonij,	Gummi arabici,
Colocynthidis,	Rhabarbari ana ℥.s.
Agarici,	Tere, fiat maſſa.

Rhabarbarum à nobis additum eſt.

*Pituitam à cerebro & alijs neruoſis euacuant.

¶Pilulæ de octo rebus Nicolai.

Recip. aloês,	Agarici,
Scammonij præparati,	Maſtiches,
ana ʒ.ij.	Dauci,
Pulpæ colocynthidis,	Myrobalanorũ cepularũ,
Epithymi,	Abſinthij ana ʒ.i.
Tere, fiat maſſa cum	
Succi ſolani q.ſ.	

*Purgant humores craſſos à capite, viſum acuunt, & ſuffuſionem arcent.

¶Pilulæ ex Opio magiſtrales.

Recip. opij,	Caſiæ ana ℥.s.
Croci,	Vini albi q.ſ.

*Faciunt ad tuſsim, & tenues fluxiones inſpiſſant.

¶Pylulæ de cynogloſſa Nicolai.

Recip. cynogloſſæ,	Thuris ʒ.v.
Opij,	Caryophyllorum,
Seminis hyoſcyami ana	Cinnamomi,
℥.s.	Styracis calamitæ, añ. ʒ. ij.
Myrrhæ ʒ.vi.	Aquæ roſaceæ q. ſ.
fingatur maſſa.	

*Magnam vim obtinent in tenuibus ſiſtendis diſtillationibus, ac doloribus mitigandis.

¶Pilulæ

¶Pilulæ de Arnogloſſo magiſtrales.

Recip. Myrrhæ, Succi glycyrrhizę ana ʒ.i.
Thuris, Succi plantaginis q.ſ.
fiat maſſa.

* Siſtunt tenues deſtillationes, ac eandem ferè cum ſuperioribus facultatem obtinent.

¶Pilulæ de Styrace Méſuæ.

Recip. ſtyracis liquidę, Succi glycyrrhizæ,
Thuris, Opij ana ʒ.i.
Myrrhæ, fiat maſſa.

* Ad eadem efficaces ad quæ ſequentes.

¶Pylulæ Styracis Galeni.

Recip. ſtyracis ʒ.ix. Myrrhæ ana ʒ.iiij.
Opij, Sapæ q.ſ.
finge catapotia.

* Faciunt ad tuſsim recentem, & hæmoptoicos, dolorem leuant, ac ſomnum inducit.

¶Aliæ ſimiles Galeni.

Recip. myrrhæ, Caſtorij,
Piperis, Galbani ana ʒ.ij.
Opij, Sapæ q.ſ.
Styracis, fac pilulas.

* Faciunt ad deſtillationem, dolorem capitis, ægrè ſpirantes, peripneumonicos, ad veſicæ & vteri affectiones.

¶Pilulæ Harmoniæ Galeni.

Recip. ſtyracis, Myrrhæ,
Caſtorij, Seminis hyoſcyami ana
Piperis, ʒ.iiij.
Cardamomi, ana ʒ.iij. Sapæ q.ſ.
Opij, reduc in catapotia.

* Ad deſtillationes & inexuperabilem defluxũ vtiles ſunt.

¶Pilulæ Scribonij, ex Galeno.

Recip. ſagapeni,
Myrrhæ ana ʒ.ij.

Opij,

Opij,	Piperis albi ℈.i.s.
Cardamomi,	Sapæ q.ſ.
Caſtorij ana ʒ.iiij.	fiant pilulæ.

* Phthiſicis, ſanguinem reiectantibus, ſuppuratis, educunt pelliculas & repurgant ſufficienter: verùm immorari pharmaco oportet.

PASTILLI, SEV TROCHISCI, ET COLLYRIA SIVE SIEF.

Sectio Octaua.

¶Trochiſci de Vipera Galeni.

RECip. viperas num.xx.
Sumendæ ſunt autem, non quæ quouis tempore captę ſunt, ſed à medio potiſsimum. Aprile in finem vſque Maij, aut paulò tardius, locisque procul à mare diſsitis. Eligendæ ſunt fœminæ, quæque colore ſubflauo ſint, non prægnantes, quæ caput latius habeant & depreſſum, collum longius, graciliusque quā mares, ventre vaſtiores, cauda minore, quæ non inuoluta eſt, ſed potius contorta & diſtenſa, inceſſu quieti proximo, quæ tamen poſtremas partes in inceſſu magis moueant, aſpectu ferino & inuerecundo, oculis ſubrubentibus, & recèns captæ. Capita primùm & caudas amputabis quatuor digitorū longitudine vtrinque: his amputatis conſiderandum eſt ſi motum quendam in ipſis reſiduum conſpicies, ſanguinemque multum fundent, nam hæ ceu præſtantiſsimæ, ſumendæ ſunt: Deinde pelle detracta, interanea cum adipe abijcienda erunt, reliquum corpus in ollam nouam bene coctam immittendum, & coquendum in aqua fontana, additis anethi comis, & ſub finem pauxillo ſalis, (ignis autem eſto è carbonibus accenſis, aut ſarmentis vitium) donec carnes

nes

nes à ſpinis ſeparentur. Cùm coctæ fuerint, ollam ab igne depones, & carnes diligenter à ſpinis exemptas, per ſe contundes nulla iuſculi addita parte, & addito puluere panis biſcocti maximè puri, quãtum paſtillis formandis ſufficiat, quæ erit ſecundum Galenum tertia aut quarta pars, admiſceto. Formabis in paſtillos ponderis duarum drachmarum, & ſiccabis in ſuperiori ædium parte, in cella ad meridiem conuerſa, à puluere diligẽter mundata, Sæpè autem cõuertendi ſunt, per quindecim dies aut eo amplius, donec probè exſiccati fuerint, deinde in pyxidem vitream aut figulinam vitratam bene obturatam reponendi. Annum vnum integri perſeuerant, quanquam longè melius ſit, haud multo poſtquam ipſos confeceris, theriacam conficere. Qui autem diutius conſeruare volet, ſubinde abſtergendi ſunt à puluiſculo quodam qui illis obnaſci conſueuit, qui ſi diutius inhæreat, paſtillos perforabit. Hoc itaq; modo, conſeruari poſſunt integri ad tertium annum.

¶Trochiſci de Scylla Galeni.

Scillam initio Iulij collectam, mediæ magnitudinis, plenam, candidam, cortice primo detracto, & parte duriore cui radiculæ adhærent, abiecta, farina ſubácta inuolues, & eouſque in clibano coques, donec farina probè ſiccata ſit, & ea perforata, ſtilo ligneo tentabis num ſcilla vndiq; tenera ſit: Ea exempta partem interiorem diligenter teres, cui admiſcebis farinæ erui tenuiſsimè cribratæ vncias octo ad ſingulas libras, & formabis in trochiſcos ponderis duarum drachmarum, & ſiccabis in ſuperiore parte ædium in cella probè mundata. Meridiem ſpectante, ſæpius obuertendo, donec probè ſiccati ſint, deinde repones vt ſupra dictum eſt de paſtillis viperinis.

¶Hedycroum Andromachi ex Galeno.

Recip. mari,	Maioranæ,
Aſari,	Aſpalathi ana ℥.ij.

Schœ-

Schœnanthi,	Folij,
Calami odorati,	Nardi indicæ,
Phu,	Croci,
Xylobalſami,	Caſiæ, ana ʒ.vi.
Opobalſami,	Amomi. ʒ.xij.
Cinnamomi,	Maſtiches ʒ.i.
Coſti, ana ʒ.iij,	Vini q.ſ.
Myrrhæ,	

fiant trochiſci, inunctis prius manibus opobalſamo, deinde ſiccantur vt ſuperiores.

¶ Crocomagma Damocratis ex Galeno.

Recip. croci ʒ.c.	Amyli,
Myrrhæ,	Gummi arabici aã. ʒ.xxx.
Roſarũ rubrarũ ana ʒ.l.	Vini q.ſ,

fiant trochiſci.

¶ Cyphi Damocratis.

Recip. pulpæ paſſularum,
Terebinthinæ coctæ ana ℥.iij.

Myrrhæ,	Cyperi,
Schœnanthi ana ℥.i.s.	Baccarũ iuniperi aã. ℥.iij.
Calami aromatici ʒ.ix.	Aſpalathi ʒ.ij.s.
Cinnamomi ʒ.iiij.	Croci ʒ.i.
Vnguis odorati,	Mellis q.ſ.
Nardi indicæ,	Vini modicum,
Caſiæ,	forma trochiſcos.

* Valent ad pulmonum, iecoris, aliarumque internarumque partium exulcerationes.

¶ Trochiſci Alhandal. Meſuæ.

Recip. pulpæ colocynthidis ʒ.x.
minutim inciſa fricetur cum

Olei roſati ℥.i.	Gummi arabici,
Tragacanthi,	Bdellij ana ʒ.vi.

Macerentur quatriduum in aqua roſacea, his colatis & expreſsis partem vnam cum colocynthide permiſcebis, & fiet maſſa, quæ ſiccata in Sole, rurſum teretur, atque addetur altera pars colaturæ, & formabuntur

buntur trochiſci, qui iniici poſſunt in omnes compoſitiones quæ colocynthidem recipiunt, & ipſa colocynthide ſalubriores ſunt.

¶Trochiſci de Agarico Meſuæ.

Recip. agarici ℥.iij.
Salis gemmæ ℥.s.
Zingiberis ʒ.iij.
Oxymelitis q.ſ.
Agaricũ lima cõfringendum, & formandi trochiſci.

* Purgãt ex cerebro, & capite phlegma craſſum cũ cholera mixtum. Et præcipuè educunt ex pectore craſſos humores, putridos & viſcoſos.

¶Agaricum Trochiſcatum Meſuæ.

Recip. agarici electi ℥.iiij.
Vini in quo maceratum ſit Zingiber q.ſ.
Agaricum limandum eſt, & formandi trochiſci. Additur inſuper gummi, aut tragacantha vt in vniuerſalibus dictum eſt, & poteſt iniici in omnes compoſitiones in quas agaricũ ingreditur, vires enim habet agarici, & tutius agit minoreq; vẽtriculi noxa.

¶Trochiſci Diarhodon Nicolai.

Recip. roſarum recentium ʒ.iiij.
Spodij ʒ.ij.
Santali rubri ʒ.i.s. G.vij.
Santali albi ʒ.i. G.xij.
Croci ℈.ij. G.vij.
Camphoræ G.xij.
fiunt in hunc modũ. Roſas recentes in mortario contundes lapideo, ſine intermiſsione, & reliqua in puluerẽ redacta addes, ac cũ aqua roſacea q.ſ. formabis, ſub finẽ camphorã addito, ſicca in vmbra, ac ſerua.

* Hæc compoſitio adminiſtratur in magnis compoſitionibus Nicolai.

¶Trochiſci Diarhodon Meſuæ.

Recip. roſarum rubrarum ʒ.ix.
Ligni aloẽs.

Nardi

Nardi indicæ ana ʒ.iij.	Maſtiches ʒ.ij.
Glycyrrhizæ ʒ. iiij.s.	Croci ℈.ij.s.
Spodij ʒ.i.s.	Vini albi q.ſ.

fiant trochiſci.

* Efficaciſsimi ad febres pituitoſas, antiquatas, aliis implexas, ventriculi dolorem leniendum, & humores ipſi adhærentes detergendos.

¶Trochiſci de Roſis Raſis ex Meſue.

Recip. roſarum rubrarum ℥.s.

Ligni aloës ʒ.ij.	Nardi indicæ,
Maſtiches ʒ.i.s.	Caſiæ,
Abſinthij,	Schœnanthi ana ʒ.i.
Cinnamomi,	

fac trochiſcos cũ vino antiquo, & decoctione quinque radicum.

* Sunt efficaces ad multos affectus, præſertim ad ventriculi dolorem, malam coctionem, febres antiquas, hydropem incipientem, & illos maximè, quibus forma corrumpitur.

¶Trochiſci de Camphora Meſuæ.

Recip. foliorum roſarum rubrarum ʒ.iiij.

Spodij ʒ.ij.	Gummi arabici,
Santali citrini ʒ.ij.s.	Nardi indicæ ana ʒ.i.
Croci ʒ.i.	Ligni aloës,
Glycyrrhizæ ʒ.ij.	Cardamomi maioris,
Seminum citruli,	Amyli,
Melonis,	Camphoræ ana ℈.ij.
Cucumeris,	Sacchari albi,
Cucurbitæ,	Mannæ ana ʒ.iij.
Tragacanthæ,	

forma trochiſcos cum muccagine ſeminis pſyllij extracta cum aqua roſacea.

* Ad febres ardentes, bilis & ſanguinis feruorem, ventriculi & hepatis intemperiem calidam, & ab his ſitim inexpletam, icterum quoque, ac phtiſim & hecticam conferunt.

¶Tro-

¶Trochiſci de Gallia Moſchata Meſuæ.

Recip.ligni aloës ʒ.v.
Ambræ ʒ.iij.
Moſchi ʒ.i.
Muccaginis tragacãthæ,extractæ cũ aqua roſarũ q.ſ. fiant trochiſci parui.

* Cerebrum,corque roborat, oris atque adeo corporis totius odorem commendat, compoſitionibus alijs miſcetur.

¶Alipta Moſchata Nicolai.

Recip.ladani ℥.iij.
Styracis ℥.i.s.
Styracis rubræ ℥.i.
Ligni aloës ʒ.ij.
Ambræ ʒ.i.
Camphoræ ℈.i.s.
Moſchi ℈.s.
Aquæ roſaceæ q.ſ.
formentur trochiſci ſecundum artem.

* Valet pueris laborantibus aſthmate, & ijs qui anguſto ſunt thorace, nec lac hauſtum retinent, præſtatque vſum optimi & odoriferi ſuffitus.

¶Trochiſci Ramich Meſuæ.

Recip.ſucci acetoſæ ℥.xvi.
Roſarum ℥.i.
Baccarum myrti ℥.ij.
Boli pauxillum,colentur,& colaturæ adiunge
Gallarum tritarum ℥.iij.
Coque aliquantulum, cola, & adde inſuper ſubſequentia bene triturata
Roſarum ℥.i.
Santali citrini ʒ.x.
Gummi arabici ℥.i.s.
Sumach,
Spodij, ana ℥.i.
Omphacij ſeu agreſtæ ʒ.vij.
Baccarum myrti bene tritarum ℥.iiij.
Ligni aloës,
Caryophyllorum,
Macis,

N Nucis

Nucis moſchatæ ana ʒ.iiij.
Miſce omnia,& ſiccentur in ſcutella figulina,& tere minutim, & fiant trochiſci cum ʒ.i.s. de camphora & aqua roſacea q.ſ.

Succi acetoſæ loco, ſumi poteſt vinum è codonijs acerbis: ſunt qui aromatizent Gra.xviij.moſchi.

* Ventriculum, cor, hepar, imbecilla firmant, & lubrica viſcera ac inteſtina,cholerá morbum ſiſtunt, acrimoniam obtundunt,animum reddunt tranquillum,omnem hęmorrhagiam cohibet:os quam naribus ſanguine cohibet,os quã naribus ſanguine fluẽtibus flando impellitur, alijs medicamẽtis miſcetur.

¶Trochiſci de Rhabarbaro Meſuæ.

Recip.rhabarbari boni ʒ.x.
Succi eupatorij,
Amygdalarum amararum ana ʒ.iiij.

Roſarum,	Seminis apij,
Nardi indicæ,	Abſinthij,
Aniſi,	Aſari ana ʒ.i.
Rubiæ,	Aquæ cuſcuthę q.ſ.

fiant trochiſci ponderis drachmæ vnius cũ dimidia.

* Valent ad hepatis obſtructionem, dolorem, tumores præter naturã, affectus inueteratos eiuſdem, & hydropem,& icterum,& formæ corruptionem.

¶Trochiſci de Violis magiſtrales.

Recip.violarum nigrarum ʒ.vi.
Turbith ʒ.iij.
Succi glycyrrhizæ,
Mannæ,
Scammonij præparati ana ʒ.ij.
formentur trochiſci. fiunt etiam ſine ſcammonio.

* Aquas, pituitam craſſam & bilem purgant, flatusque diſsipant.

¶Trochiſci ligni aloës Meſuæ.

Recip.ligni aloës,
Roſarum rubrarum ana ʒ.ij,

Maſti-

Maſtiches,	Cardamomi maioris,
Cinnamomi,	Paſtinacæ,
Caryophyllorum,	Galliæ,
Nardi indicæ,	Corticis citri ana ʒ.i.s.
Macis,	Moſchi,
Nucis moſchatæ,	Ambræ ana ℈.s.
Cubebarum,	Mellis paſſulati q.ſ.
Cardamomi minoris,	formentur trochiſci.

* Ventriculum,cor, hepar imbecilla roborant: ob id valent ad oris fœtorem,pulſum cordis, & ſyncopen & hydropen.

¶Trochiſci de Croco Nicolai.

Recip.croci ʒ.iij.	Myrrhæ ana ʒ.i.s.
Roſarum rubrarum,	Ligni aloës ℈.ij.
Ammi,	Aquæ roſaceæ q.ſ.

fiant trochiſci.

¶Trochiſci de Eupatorio Meſuæ.

Recip.mannæ electæ,	Spodij ʒ.iij.s.
Succi eupatorij ana ℥.i.	Rhabarbari electi,
Roſarum rubrarum ℥.s.	Aſari,
Nardi indicæ ʒ.iij.	Aniſi ana ʒ.ij.

Fiant trochiſci cum ſucco eupatorij.

* Obſtructionem & tumorem præter naturam hepatis & lienis ſanant, ac inde natas febres antiquas, & harũ rigorem,icterum,ac incipientẽ hydropem.

¶Trochiſci de Abſinthio Meſuæ.

Recip.roſarum,	Seminis apij,
Abſinthij.	Amygdalarũ amararum,
Aniſi ana ʒ.ij.	Nardi indicæ,
Rhabarbari,	Maſtichis,
Succi eupatorij,	Folij ana ʒ.i.
Aſari,	Succi endiuiæ q.ſ.

Formentur trochiſci.

* Obſtructiones ventriculi & hepatis,& ab his dolorem,& febres antiquas tollunt,dictas partes, reliquasq; nutritorias roborant, ac appetentiã excitant.

¶Trochiſci de Aniſo Meſuæ.

Recip. aniſi,	Aſari,
Succi eupatorij ana ʒ.ij.	Apij,
Seminis anethi,	Amygdalarum amara-
Nardi indicæ,	rum ana ʒ.s.
Maſtiches,	Aloës ʒ.ij.
Folij.	Syrupi abſinthij q.ſ.
Foliorum abſinthij,	formentur trochiſci.

* Obſtructiones hepatis, & alios eius morbos & inde natas febres antiquas ſanant.

¶Troch. ſeu Paſtilli Hepatici Aſclepiadis ex Galeno.

Recip. aniſi	Amygdalarum,
Seminis apij,	Abſinthij ana ʒ.iiij.
Aſari,	Aqua pluuiæ q.ſ.

fiant trochiſci.

* Hepaticos iuuant, habent enim hepar expurgandi per vrinas, dantur cũ vino, febrientibus cũ aqua.

¶Troch. ſeu Paſtilli ex Amygdalis amaris Pauli.

Recip. aniſi,	Amygdalarum amara-
Apij,	rum ana ʒ.ij.
Aſari,	Aquæ q.ſ.
Comarum abſinthij,	fiant paſtilli.

* Idem præſtant. Dantur febri carentibus ex mulſo, febricitantibus cum hydromelite.

¶Trochiſci de Capparibus Meſuæ.

Recip. corticum radicum capparis,

Seminis agni ana ʒ.vi.	Foliorum rutæ,
Seminis nigellæ,	Ariſtolochiæ rotundæ,
Calaminti,	Seminis naſturtij,
Succi eupatorij,	Ammoniaci ana ʒ.ij.
Acori,	Cyperi,
Amygdalarũ amararum,	Ceterach ana ʒ.i.

Ammoniacum diſſoluito, & reliqua triturato: deinde fiant trochiſci.

* Ad ſplenis duritiẽ & flatus eius diſsipãdos valent.

¶Tro-

¶Trochiſci de Myrrha Rhaſis.

Recip. myrrhæ ʒ.iij.	Cumini,
Lupinorum ʒ.v.	Rubiæ,
Foliorum rutæ,	Aſæ fœtidæ,
Mentaſtri,	Sagapeni,
Pulegij,	Opopanacis ana ʒ.ij.

Diſſoluuntur gummi in aceto, formanturque trochiſci cum abſinthij ſucco.

* Prouocant menſtrua, & ſedant dolores qui ex retentis menſtruis proueniunt.

¶Trochiſci de Lacca Meſuæ.

Recip. laccæ,	Aſari,
Succi { glycyrrhizæ, eupatorij,	Amygdalarũ amararum, Rubiæ,
Abſinthij,	Seminis apij,
Berberis,	Seminis aniſi,
Rhabarbari,	Schœnanthi ana ʒ.i.
Ariſtolochiæ longæ,	Vini q.ſ.
Coſti,	formentur trochiſci.

* Valent ad obſtructiones hepatis & lienis, & inde natas febres varias antiquas, & aſcitem per vrinas mouent.

¶Trochiſci de Berberis Meſuæ.

Recip. berberis ʒ.ij.	Galliæ moſchatæ,
Spodij,	Nardi indicæ ana ʒ.i.
Ligni aloës,	Gummi arabici ʒ.iij.
Seminis acetoſæ,	Roſarum rubrarum ʒ.v.
Maſtichis,	Aquæ roſarum q.ſ.

formentur trochiſci.

* Valent ad intemperiem calidam, fluorem alui, & hepatis dolorem.

¶Trochiſci de Spodio Meſuæ.

Recip. roſarum rubrarum ℥.i.s.
Spodij ʒ.x.
Seminis acetoſæ ʒ.vi.
Seminis portulacæ,

Coriandri præparati,
Sumach ana ʒ.ij.ſ.
Amyli vſti,
Balauſtiorum,
Berberis ana ʒ.ij.
Gūmi arabici aſſati ʒ.i.ſ.
Agreſtæ q.ſ.
formentur trochiſci.

* In febribus bilioſis cū alui fluore efficaces ſunt: Inflammationem ventriculi & hepatis & ſitim continuam ſedant.

¶Paſtilli dia ſpermatωn Galeni.

Recip.ſeminis apij,
Ammi ana ℥.i.
Aniſi,
Fœniculi ana ℥.ſ.
Opij,
Caſiæ ana ʒ.ij.
Aquæ pluuiæ q.ſ.
formentur trochiſci.

* Dantur ex paſſo,aut aqua,ſedant doloré, ad omnes internos affectus , & pleuritidas vtiles ſunt , & ſanguinem reiectantibus.

¶Trochiſci de Corallo Nicolai.

Recip.coralli rubri,
Cinnamomi,
Myrrhæ,
Amomi,
Seminis papaueris aā.℥.ſ.
Schœnanthi,
Croci ana ʒ.ij.
Calami aromatici,
Xilobalſami,
Caſiæ,
Folij,
Maſtiches,
Phu,
Polij montani,
Aſari,
Pedis columbini ana ʒ.i.
Vini q.ſ.
formentur trochiſci.

* Sanguinolenta excreantibus, dyſentericis,cœliacis, cibum faſtidientibus mirè ſubueniunt.

¶Dia Corallu Galeni.

Recip.coralli rubri,
Terræ ſamiæ ana ℥.i.
Balauſtiorum,
Amyli,
Terræ lemniæ ana ʒ.iiij.
Seminis hyoſcyami,
Opij,
Hypociſtidis ana ʒ.ij.
Succi plantaginis,
formentur trochiſci.

* Ad eadem efficax.

¶Trochiſci de Terra ſigillata Meſuæ.

Recip.ſanguinis draconis,

Gummi

Gummi arabici aſſati,	Coralli rubri,
Trochiſcorum ramich,	Charabæ ana ʒ.ij.
Roſarum rubrarum,	Margaritarum,
Spodij,	Tragacanthæ,
Seminis roſarum,	Seminis papaueris nigri,
Amyli aſſati,	ana ʒ.i.s.
Acaciæ,	Seminis portulacæ,
Lapidis hæmatitis,	Cornu cerui vſti,
Hypociſtidis,	Thuris,
Balauſtiorum,	Gallarum,
Boli armenici,	Croci ana ʒ.ij.
Terræ ſigillatæ,	Aquæ plantaginis q.ſ.

Formentur trochiſci. Qui volet cum opio addat Opij ʒ.ij.

*Sunt admodum efficaces ad ſputum ſanguinis cum aqua plantaginis poti: ad fluorem verò ſanguinis è naribus,frõti illiti: ad menſes immodicos,vtero iniecti,vel pubi illiti:ad mictum ſanguinis,in veſicam iniecti:& ad alias hæmorrhagias,parti ſanguine fluenti impoſiti.

¶Trochiſci de Carabe Meſuæ.

Recip.charabæ ʒ.ix.	Maſtiches,
Cornu cerui vſti,	Laccæ,
Gummi arabici aſſati,	Papaueris nigri aſſati,
Coralli rubei vſti,	ana ʒ.iij.
Tragacanthæ,	Thuris,
Acaciæ,	Croci,
Hypociſtidis,	Opij ana ʒ.ij. gr.xv.
Balauſtiorum,	Mucilaginis pſyllij q.ſ.

Formentur trochiſci.

*Vtiles ſunt ad conſtringendum ſanguinem vndecunque fluentem,menſtrua,ſputum, fluxum ſanguineum, & hæmorrhoidalem : & conſolidant vlcera pectoris & pulmonis.

¶Paſtilli Dia electru Galeni.

Recip. pſyllij,

Iridis, Succini ana ʒ.xxx.
Maſtiches, Opij ʒ.xv.
Pſyllium aqua calida macerato, atque iam expreſſa mucilagine Paſtillos ſecundum artem formato.

* Fluxum ſanguinis præſertim à thorace, pulmone, hepate, renibus, vtero hæmorrhoidibus cum ſucco plãtaginis vel polygoni, aut vino granatorũ ſumpti.

¶Trochiſci Stellæ Auicennæ.

Rec. lapidis ſtellaris ʒ.v.	Corticis mandragoræ, ana ℥.s.
Coſti,	Seminis: papaueris albi,
Opij,	Dauci,
Croci ana ʒ.v.	Aniſi,
Myrrhæ,	Hyoſcyami,
Caſtorij,	Apij,
Nardi indicæ,	
Caſiæ,	Sileris montani,
Terræ ſigillatæ,	Styracis liquidæ ana ℥.i.

Gummi macerantur in vino, reliqua terantur, & formentur trochiſci.

* Conueniunt ſtomachi eructationibus, dolori capitis & dentium, catarrhis, ſanguinis ſputum & profluuium ſanant, & periodicas febres.

¶Aſter Galeni.

Recip. croci ℥.s.	Caſtorei ʒ.ij.
Seminis: Hyoſcyami,	Opij ʒ.iij.
Apij añ. ʒ.vi.	Myrrhæ ʒ.ij.
Aniſi,	Succi mandragoræ ℥.s.
Styracis,	Piperis albi ʒ.vi.
Dauci ana ℥.s.	Aquæ pluuiæ q.ſ.

Fiant trochiſci.

* Datur ex aqua, ſiſtit dolorem, hoc vti poſſumus ad omnem fluxum, dolorem, & omnes internos affectus, & deſtillationes, ad veſicam, ad ſuffocationes, fluxum muliebrem, ſtomachi fluxionem, dyſentericos, & ſanguinem reijcientes.

¶Trochiſci Alkekengi Meſuæ.

Recip.

Recip. fructus alkekengi ℥.iij.

Seminis { Citrulli, Cucumeris, Cucurbitæ ana ℥.iij.s.

Boli armenici,	Amyli,
Gummi arabici,	Pinearũ mũdarũ añ.ʒ.vi.
Thuris,	Seminis apij,
Sanguinis draconis,	Carabæ,
Seminis papaueris albi,	Terræ ſigillatæ,
Amygdalarũ amararum,	Hyoſcyami,
Succi glycyrrhizæ,	Opij ana ʒ.ij.
Tragacanthæ,	Iulepi violati q.ſ.

Formentur trochiſci.

* Valent ad renum & veſicæ vlcera & natam inde dyſuriam.

¶Paſtillus Andronius ex Andromacho.

Recip. florum mali punici ʒ.x.
Gallæ omphacitidis ʒ.viij.
Myrrhæ,
Ariſtolochiæ ana ʒ.iiij.
Calcanthi
Aluminis ſciſsilis } ana ʒ.ij.
Miſy
Formentur trochiſci cum
Sapæ q.ſ.

* Facit ad recentia vulnera & vetera, curat fiſtulas, aures ſuppurantes, oſſa corrupta, reprimit omnem carnis excreſcentiam: valet ad phagedænas & condylomata.

¶Paſtilli Polyidæ ex Andromacho.

Recip. florum mali punici ʒ.xij.

Aluminis ſciſsilis ʒ.iij.	Calcanthi ʒ.ij.
Thuris,	Fellis taurini ʒ.vi.
Myrrhæ ana ʒ.iiij.	Aloë ʒ.viij.

Formentur paſtilli cum
Vini auſteri q.ſ.

* Ad nomas, & eadem ferè quæ præcedens poteſt.

¶ Paſtilli Muſæ.

Recip. aluminis ſciſsilis
Aloês,
Myrrhæ,
Calcanthi ana ʒ.vi.
Croci,
Crocomagmatis aā.ʒ.iij.
Florum malorū granatorum domeſticorū ʒ.iiij.
Formentur paſtilli cum
Vini odorati &
Mellis ana q.ſ.

* Paſtillus multiplicis vſus, pus educens, & relaxās.

¶ Trochiſci de Minio erodentes Ioannis de Vigo.

Recip. Medullæ panis non cocti bene fermentati ʒ.iiij.
Sublimati electi ʒ.i.
Minij ʒ.s.
Aquæ roſarum q.ſ.
Formentur trochiſci, qui in clibano tepente reſiccati ſeruentur.

* Omnes carnis prauas excreſcentias liquat, ſordida vlcera expurgat, calloſa emollit, ac fiſtulas mirabiliter ſanat.

¶ Sief album Meſuæ.

Recip. ſarcocollæ in lacte aſinino maceratæ ʒ.v.
Amyli ℥.s.
Tragacanthæ ʒ.iij.
Opij ʒ.i.
Thuris ʒ.i.s.
Ceruſæ lotæ ʒ.x.
Aquæ pluuiæ q.ſ.
Fiat ſief.

* Confert ophthalmiæ cum eſt in augmento, & dolorem ſedat.

¶ Aliud ſimile eiuſdem.

Recip. gummi arabici, Ceruſæ lotæ ʒ.vi.
Tragacanthæ,
Amyli ana ʒ.iiij.
Opij ʒ.i.
fac ſief cum
Oui albumine.
Fit etiam ſine opio.

* Hic vtimur initio vehemētis doloris à cauſa calida.

¶ Try-

¶Trypherum Galeni.

Rec.cadmię lotę ʒ.xvi.Gummi,

Ceruſæ ʒ.viij.	Tragacanthæ ana ʒ.iiij.
Amyli,	Opij ʒ.ij.

Fiat collyrium cum
Aquæ pluuiæ q.ſ.

* Ad epiphoras,& affectiones oculorum : vide ſequens.

¶Aliud Galeni.

Rec.cadmię lotę ʒ.xvi. Ceruſæ ʒ.xlviij.

Amyli,	Opij ʒ.vi.
Thuris ana ʒ.viij.	Gummi ʒ.xvi.

Fiat collyrium cum
Aquæ pluuiæ q.ſ.

* Ad inuſtiones oculorum, puſtulas, chemoſeis, maximè in his, qui nullam mordacitatem perferre poſſunt.

¶Cygnus Galeni.

Recip.cadmiæ ʒ.xvi.	Acaciæ,
Ceruſæ lotæ ʒ.viij.	Opij ana ʒ.ij.
Amyli,	Gummi ʒ.xij.
Tragacanthæ,	fiat collyrium cum

Aquæ pluuiæ q.ſ.

* Ad maximos dolores & affectiones oculorum.

¶Dia rhodon Nilei ex Galeno.

Recip.roſarum.ʒ.iiij.	Opij,
Croci ʒ.ij.	Nardi indicæ ana ʒ.i.
Gummi ʒ.iij.	Aquæ pluuiæ q.ſ.

fiat collyrium.

* Ad doloris moleſtias,fluxum vberem,ac tenuem, puſtulas,prolapſus oculorum.

¶Aliud Meſuæ,Sief de roſis dictum.

Recip.foliorum roſæ ʒ.xv.
Croci,
Gummi arabici ana ʒ.viij.
Opij,

Nardi indicæ ana ʒ.ij.
fiat ſief cum
Aquæ pluuiæ q.ſ.
* Eadem quæ præcedens poteſt.

¶Collyrium ſeu Sief de Thure.

Recip.cadmiæ, Opij,
Pompholigis, Gummi ana ʒ.vi.
Thuris ana ʒ.x. Aquæ pluuiæ q.ſ.
Ceruſæ ʒ.xl. fiat collyrium.
* Ad fluxiones oculorum & chemoſeis.

¶Aliud Meſuæ.

Recip. thuris ʒ.x. Sarcocollæ ana ʒ.v.
Ammoniaci, Croci ʒ.ij.
fiat ſief cum
Mucilaginis fœnigræci q.ſ.
* Vlcera oculorum ducit ad maturitatem.

¶Collyrium Nardinum.

Recip.cadmiæ, Acaciæ ana ʒ.x.
Croci, Nardi indicæ ʒ.iiij.
Gummi ana ʒ.xij. Opij,
Aeris vſti ʒ.v. Myrrhæ ana ʒ.v.
Stibij,id eſt,antimonij, Vini q. ſ.
fiat collyrium.
* Ad doloris vexationes, fluxum tenuem & multum,puſtulas & aſpretudines oculorum.

¶Dia œnu.

Recip.cadmiæ, Aeris vſti ʒ.vij.s.
Lapidis hæmatitæ, Chalcitidis ʒ.viij.
Aluminis ſciſsilis ana ʒ.x.Seminis papaueris ʒ.v.
Maceretur ſemen papaueris in aquæ pluuiæ q.ſ. Exprimatur, & reliquis tritis fiat collyrium cum vini auſteri q.ſ.
* Ad claritatem & cicatrices oculorum.

¶Diahæmatites.

Recip.æris vſti & loti ʒ.xxiiij.
Lapidis hæmatitæ ʒ.i.

Croci

Croci, Gummi ʒ.xij.
Opij ana ʒ.iiij. Aceti q.ſ.
fiat collyrium.

* Aſpretudinibus commodum: facit ad veteres affectiones, ad ficoſa, & ad omnem extuberantiam oculorum.

¶Diamyrrha.

Recip. cadmiæ lotæ ʒ.xxviij.
Lapidis hæmatitæ vſti & loti ʒ.xxv.
Spodij ʒ.xxiiij. Piperis albi, Gr.nu.xxx.
Myrrhæ ℥.vi. Gummi ʒ.vi.
Croci ℥.s. Vini q.ſ.
Opij ℥.i.

* Accommodatum eſt ad veteres affectiones oculorum: facit & ad rhœadas & ægylopas.

¶Viride Antęi.

Recip. cadmiæ ℥.vi. Squammarum æris,
Myrrhæ ℥.iij. Nardi indicæ,
Croci ℥.vi. Acaciæ ana ʒ. vi.
Opij ℥.iij. Gummi ʒ.xxiiij.
Plumbi vſti & loti ℥.i.
fiat collyrium cum aquæ pluuiæ q.ſ.

* Ad doloris moleſtias, puſtulas, inuſtiones, prolapſus, confuſiones oculorum.

¶Aliud viride.

Recip. cadmiæ vſtæ, & vino odorato extinctę ℥.i.
Croci,
Stibij, id eſt, antimonij vſti & in lacte extincti añ.ʒ.(iiij.
Amyli ʒ.i.
Gummi ʒ.ij.
Succi anagallidis fœminæ q.ſ.

* Ad idem valet.

¶Aliud Meſuæ.

Recip. æruginis æris ʒ.iij.
Calcanthi vſti ʒ.vi.
Auripigmenti rubri,

Spumæ

Spumæ nitri,
Spumæ maris ana ℥.i.
Ammoniaci ℥.i.s.
Salis hammoniaci ℥.s.
Ammoniacum macerato in aqua rutæ, & fac collyrium.

* Eiuſdem facultatis eſt ferè cũ ſief rubro ſequẽti.

¶ Sief rubrum Meſuæ.

Recip. ſeminis cannabis ℥.iij.
Aeris vſti,
Myrrhæ ana ℥.ij.
Croci ℥.i.
Piperis nigri ℥.s.
Aquæ pluuiæ q.ſ.
Si voles acrius, adde
Aeruginis æris,
Salis hammoniaci ana ℥. s. fiat ſief.

* Vtile eſt oculorum ſcabritiei, pruriginique, ſuffuſionibus & vngui.

¶ Aliud Galeni.

Recip. cadmiæ ℥.xl.
Chalcitidis vſtæ,
Piperis albi,
Gummi ana ℥.xx.
fiant paſtilli cum
Aquæ q.ſ.

* Ad lippitudinem, ſycoſin, & carnis excreſcentias.

¶ Sief luteum Meſuæ.

Recip. cadmiæ lotæ, vſtæ, & in lacte muliebri maceratæ ℥.x.
Ceruſæ lotæ ℥.viij.
Squammæ ferri ℥.iiij.
Opij ℥.ij.
Tragacanthæ,
Gummi arabici ana ℥.iiij.
fiat ſief cum
Aquæ pluuiæ q.ſ.

* Confert doloribus oculorum vehementibus à cauſa calida.

¶ E cornu Ceruino.

Recip. cornu cerui vſti & loti,
Thuris,
Opij, ℥.i.
Plũbi vſti & loti an̄. ℥.iiij.
Gummi ℥.iiij.
Squammæ æris lotę ℥.ij.
fiat collyrium cum
Aquæ pluuiæ q.ſ.

*Facit

* Facit ad vlcera & puſtulas oculorum, cicatrices exterit.

¶ Aliud.

Recip. plumbi vſti & loti,
Cornu ceruini vſti & loti ana ʒ.xvi.
Thuris, Croci ʒ.viij.
Acaciæ, Myrrhæ ʒ.iiij.
Spodij ana ʒ.viij. Tragacanthæ ʒ.i.
Amyli ʒ.iiij. Gummi,
Opij, Seminis hyoſcyami ana
Squammæ æris ana ʒ.ij. ʒ.viij.
fiat collyrium cũ muccagine ſeminis hyoſcyami.
* Ad eadem efficax.

¶ Libianum.

Recip. cadmiæ vſtæ & lotæ,
Ceruſæ lotæ,
Stibij, id eſt, antimonij vſti & loti ana ʒ.xvi.
Plumbi vſti & loti ʒ.viij. Terræ ſamiæ,
Amyli ʒ.xij. Tragacanthæ ana ʒ.viij.
Pompholigis, Opij,
Myrrhæ, fiant paſtilli cũ albumine oui.
* Ad puſtulas, inuſtiones, rupturas, cõcauitates, oculos purulentos, chemoſeis, ſtaphylomata, & ad circũ moleſtantem dolorem facit, & cicatrices exterit.

¶ Aliud.

Recip. pompholigis ʒ.viij.
Cadmiæ vſtæ & lotæ ʒ.xvi.
Stibij, id eſt, antimonij vſti & loti ʒ.xij.
Ceruſæ lotæ ʒ.xvi. Myrrhæ,
Amyli ʒ.xij. Opij,
Terræ ſamiæ, Tragacanthæ ana ʒ.ij.
Plumbi vſti ana ʒ.viij. formentur paſtilli cum
Aquæ pluuiæ q.ſ.
* Eiuſdem cum priore facultatis.

¶ Sief de Plumbo Meſuæ.

Recip. plumbi vſti,

Antimonij,	Gummi arabici,
Tutiæ lotæ,	Tragacanthæ ana ʒ.viij.
Aeris vſti,	Opij ʒ.s.

fiat ſief cum
Aquæ pluuiæ q.ſ.
* Replet & conſolidat vulnera oculorum.

DE OLEIS.

Sectio nona.

¶ Oleum Roſatum vulgare.

Recip.olei communis lib.iiij.
Roſarum rubrarum purgatarum ℥.xvi.
Macera,& inſola per octo dies: Roſas exemptas bene exprime, atque alias impone vt ſupra: atque ita tertiùm fac: Cola & ſerua.

Nonnulli in tertia infuſione roſas relinquunt.

* Refrigerat & adſtringit, inflammationibus præſidio eſt, æſtuantem ventriculum reſtinguit, eroſiones inteſtinorũ clyſteribus inditum,& dolores dentium,ſi eo colluantur,ſanat.

¶ Oleum roſatum completum Meſuæ.

Recip.olei ex oleis maturis, aqua fontana multoties loti, quantum voles: deinde immitte folia roſarum rubrarum apertarum repurgata quantum ſatis eſt in vitreum vas: obturetur vas,ac per dies ſeptem inſola: coque tribus horis in vaſe duplici. Expreſsis folijs & abiectis,noua immitte:inſola iterum,coque in balneo,& exprime vt priùs: tertiò noua immitte roſarum folia, quibus addes aquæ infuſionis roſarũ (eo modo confectæ vt in ſyrupo roſato dictum eſt) quartam partem: miſce, inſola dies quadraginta in vaſe vitreo obturato: pòſt excola,exprime, & addito roſarum ſucco,iterum diu inſola.

Alij

Alij partem infuſionis ſumunt, & ſucci roſarum partem alteram, & eo quo ſuprà dictum eſt modo conficiunt.

* Roborat, reſoluit commodè, lenit, & ſedat.

¶Oleum roſatum Pauli.

Recip. roſarum exemptis vnguibus ℥.iij.
Olei omphacini ℥.vi.
Immitte in vas vitreum obturatum ne expiret: dies quadraginta inſolato.
Alij non inſolant, ſed puteo imponunt, ſuſpenſum proximè aquam dies quadraginta.

* Inflammationes extinguit, roborat, cogit, denſat, fluxiones ſiſtit, & materiarum per corpus fluxum cohibet.

¶Oleum Roſatum Omphacinum.

Recip. olei oliuarum immaturarum loti lib.i.
Roſarum rubrarum purgatarum ℥.iiij.
Tritis roſis, & oleo impoſitis, fac vt dictum eſt, ter roſas permutando.

* Eiuſdem cum ſuperiori facultatis.

¶Oleum Chamæmelinum Pauli.

Recip. florũ chamæmeli, demptis folijs albis ℥.iiij.
Olei oliuarum lib.ij.s.
Siccentur flores in vmbra.24. horis, deinde immitte cum oleo in vas vitreum anguſti oris, bene obturatum, & quadraginta dies inſolato.

* Initio colici, arthritici, & aliorum dolorum præſtantiſsimũ eſt, parũ enim repellit & modicè digerit.

¶Oleum Cydoniorum Meſuæ.

Fit ex carnis cydoniorũ præmaturorũ cũ cortice,
Succi cydoniorum ana ℥.vi.
Olei oliuarum immaturarum lib.iij.
Omnia in vas vitreum obturatum immittito, & diebus quindecim inſolato: deinde horis quatuor coquito in duplici vaſe. Cola & exprime: in expreſsione caro & ſuccus mutetur: rurſum inſoletur, coqua-

O tur,

tur,& exprimatur vt diximus:tertiùm ſic facito:poſtremò colatum reconde ne perſpiret.

* Refrigerat,adſtringit:ob id ventrem totum inferiorem,& neruos laxiores cogendo roborat, ſudores immodicos ſiſtit.

¶Oleum Maſtichinum Meſuæ.

Recip.olei roſati omphacini lib.i.
Maſtiches ℥.iij.
Vini odoriferi ℥.iiij.
Omnia in vaſe vitreo impoſita coquantur in duplici vaſe ad vini conſumptionem.

* Cerebrum,neruos,iuncturas,ventriculum, hepar corroborat,tumores duros lenit,dolores ſedat.

¶Oleum Abſinthij.

Recip.comarum abſinthij ℥.iiij.
Olei omphacini lib.i.
Inſolato in vaſe vitreo, abſinthiumque permutato ter,veluti de roſis dictum eſt in oleo roſato.

* Calfacit ac roborat ea quæ ſunt refrigerata, potiſsimum verò ventriculum, excitat appetentiã, obſtructiones aufert,lumbricosque enecat.

¶Oleum Menthæ.

Recip.mentæ domeſticæ ℥.iiij.
Olei omphacini lib.i.
fiat vt ſupra.

* Ventriculum refrigeratum & imbecillum calefacit: firmat nauſeam, vomitumque reprimit, appetentiam excitat,coctionemque iuuat.

¶Oleum Sambucinum.

Recip.olei veteris lib.i.
Florum ſambuci ℥.iiij.
fit vt oleum roſatum,ter flores innouando.

* Lenit, abſtergit, & mundificat cutim, medetur icteritiæ, & maximè hepati infirmo, obſtructo, & plurimum confert doloribus iuncturarum.

¶Oleum Populinum Nicolai.

Recip.

Recip. olei lib. vij. ℥. ij.
Vini lib. iiij.
Gemmarum populi arboris recentium lib. iij.
Gemmæ populi diutiſsimè terantur, & macerentur in vino & oleo diebus ſeptem, pòſt coquantur in duplici vaſe vſque ad conſumptionem vini, deinde exprimatur oleum & reponatur.

* Expedit ad capitis dolorem, arthriticis, nephriticis, & podagricis, & vbicunque dolor fit.

¶ Oleum Liliorum ſimplex.

Recip. florum liliorum alborum, abiecto quod croceum eſt ℥. iiij.
Olei veteris lib. i.
Fit vt oleum roſatum, ter lilia renouanda ſunt.

¶ Oleum Liliorum compoſitum.

Recip. foliorum liliorum alborum ℥. ix.
Maſtiches, Caryophyllorum,
Calami aromatici, Cinnamomi ana ℥. s.
Carpobalſami ana ℥. i. Croci ʒ. iij.
Omnia præter liliorum folia aqua ſufficiente viginti quatuor horis macerentur, deinde paululũ coquantur, & additis lilijs, oleique veteris lib. ij. aliquantulum bulliant: Tunc omnia iniecta in vas vitreum inſola dies quadraginta: pòſt colatum & bene obſtructum reponatur.

* Calfaciunt, reſoluũt: ob id à frigore dolores thoracis, ventriculi, coli, vteri, renum, veſicæ ſedat, lenit & coquit.

¶ Oleum Irinum Meſuæ.

Recip. radicum ireos lib. i.
Florum eiuſdem lib. ij.
Macerentur in decoctione aliarum radicũ ireos q. ſ.
Olei veteris lib. ij.
In vaſe duplici coque, exprime, radiceſque nouas & flores immitte, coquantur denuò, & tertiùm, colatum ſeruato & obturato,

* Terget, tenuat, coquit, reſoluit potenter : ob id à frigido dolores aurium, hepatis, ſplenis, vteri, articulorum ſedat, phlegmonas coquendo ſuppurat, materias thoracis, & pulmonis coquit : ſtrumas diſsipat, & alios tumores duros, ſpaſmum emendat, & narium fœtorem.

¶ Aliud Nicolai.

Recip. olei veteris lib. xiiij.
Aquæ lib. iiij. ℥. ij.
Radicum iridis lib. iij. ℥. iiij.
Florum liliorum alborum ℥. xv.
Radicum { cyperi recentium ℥. vi. helenij ℥. iij. bugloſſæ ℥. ij.
Cinnamomi,
Nardi indicæ,
Aſæ odoratæ ana ℥. i.

Contundantur radices & aliæ ſpecies, & macerentur in oleo & aqua diebus quinq; ad Solem vel loco calido : poſteà in duplici vaſe coquito donec aqua conſumpta fuerit. Refrigerare ſinito, colato, exprimito & reponito.

* Vſurpatur ad diuturnum catharrum naribus illitum. Ozenas & putredines narium aufert, tinnitum aurium cum aceto & ruta ex amygdalis amaris commixtum & auribus iniectum tollit, aſthmaticis gargariſmo adhibito opitulatur: hæmorrhoidas veteres inunctum ſine colo iniectum educit.

¶ Oleum Liguſtrinum ſiue de Alcanna.

Recip. florum liguſtri ℥. iiij.
Olei veteris ℥. x.
Fit vt roſatum.

* Partes neruoſas roborat, capillos à canicie vindicat.

¶ Oleum Nardinum ſimplex Meſuæ.

Recip. nardi indicæ ℥. iij.

Vini,

Vini,
Aquæ ana ℥.ij.ſ.
Olei loti lib.i.ſ.
Minutim inciſam macera, & coquantur in duplici vaſe, donec vinum & aqua per vaporem reſoluantur, coletur deinde oleum & reponatur.

¶ Oleum Nardinum compoſitum Meſuæ.

Recip. nardi indicæ ℥.iij.
Sampſuchi, id eſt, maioranæ ℥.ij.

Ligni aloês,	Foliorum lauri,
Enulæ,	Cyperi,
Folij indi,	Schœnanthi,
Calami aromatici,	Cardamomi ana ℥.i.ſ.

Contundantur omnia leuiter, & illis adfunde
Vini,
Aquæ ana q.ſ.
Olei loti lib.vi.
Macerentur horis duodecim, deinde coquantur in duplici vaſe ſecundum artem.

* Calfaciunt, tenuant, digerunt, modicè adſtringunt, proinde affectus omnes frigidos & flatulentos cerebri, vētriculi, hepatis, lienis, renum, veſicæ, vteri magnoperè iuuant, naribus iniectum caput purgāt, corporis colorem & odorem commendant.

¶ Oleum Sampſuchinum.

Recip. foliorū ſampſuchi, id eſt, maioranæ M.iiij.
Serpilli M.ij.
Foliorum myrti M.i.
Abrotoni,
Siſymbrij ſeu mentæ aquaticæ ana M.ſ.
Caſiæ ℥.ij.
Olei omphacini quantum ſufficit.
Concidito & contundito omnia & impone in vitreum vas, & inſola diebus octo: poſtea exprime, & alias ſpecies infunde, coque rurſus, & tertium idem facito: deinde colatum repone.

* Laſsitudini vtile eſt, & morbis cerebri & neruorum frigidis prodeſt, ob id ſpinæ in balneo inunctum paralyſin iuuat, & ſpaſmum cynicum, vulgo torturam oris, naribus iniectum: vt auribus immiſſum, à flatu tinnitū diſsipat, menſes ciet, morſui ſcorpionis prodeſt.

¶ Oleum Moſchellinum Nicolai Alexandrini.

Recip. olei puri lib. viij. Myrrhæ,

Aquæ lib. iij.	Cinnamomi,
Folij,	Caſiæ ana ℥.i.s.
Nardi indicæ,	Carpobalſami,
Coſti,	Caryophyllorum,
Maſtiches ana ℥.iij.	Bdellij ana ℥.i.
Styracis calamitæ,	Moſchi ʒ.vi.
Croci,	Nuces moſchatas nu. iiij.

Folium, myrrham, caſiam, carpobalſamum & bdellium tere, & per biduum in aqua & oleo macera, poſtea coque ſupra lentum ignem in duplici vaſe vſque ad conſumptionem aquæ: deinde cola, & reliqua in tenuiſsimū puluerem redacta inſperge præter moſchum: iterum macera & coque parumper: vltimo moſchum addito: probè omnia miſceto & repone, & interdum vas agitato.

* Eſt optimum ad omnem frigiditatem corporis, potiſsimum ventriculi, & ad dolorem lateris foris inunctum: Stranguria & colico vexatis, & ad omne neruorum vitium illitum optimè facit, miſcetur epithematibus & emplaſtris quę ad ſtomachi & renum affectiones aſciſcuntur.

¶ Oleum Hyperici.

Recip. ſummitatum hyperici ℥.iij.

Macerentur in vino odorifero diebus tribus & noctibus, bulliant deinde in vaſe duplici obturato orificio vaſis: poſtea exprime, & recentis hyperici ſummitatum bene tritarum par pondus inijce, & macera dies tres ac noctes: poſtea adde

Tere-

Terebinthinæ ℥.iij.
Olei veteris ℥.vi.
Croci ℈.i.
Coquantur in duplici vaſe vſque ad vini conſumptionem, cola & repone.

* Calidum eſt & ſiccum, & tenuium partium: vulnera inciſorum neruorum conſolidat & combuſtionem ignis: ſedat dolores fœmoris & veſicæ, & prouocat vrinam.

¶ Oleum Hyperici Magiſtrale.

Recip. olei veteris lib.iiij.
Vini albi potentis lib.i.
Florum hyperici cum ſemine recentium M.iiij.
Tere & macera in vaſe vitreo, obturato eius orificio, duos dies: coque in duplici vaſe, & fortiter exprime: in colaturam inijce alios flores, vt dictum eſt, & tertiò idem facito: deinde colato, & ad ſingulas colaturæ libras adde

Terebinthinæ ℥.vi.	Tormentillæ,
Olei abſinthij ℥.iij.	Carlinæ,
Dictamni,	Calami aromatici añ.ʒ.ij.
Gentianæ,	Lumbricorũ in vino plu-
Cardui benedicti,	ries lotorum ℥.ij.

Terantur omnia & inſolentur triginta aut quadraginta diebus, & bene obturatum reponas.

* Ad eadem vtile, ſuperiori tamen efficacius eſt.

¶ Oleum de Capparibus.

Recip. corticis radicum capparis ℥.i.

Corticum tamariſci,	Cyperi ana ʒ.ij.
Foliorum tamariſci,	Olei oliuarum lib.i.
Seminis agni,	Aceti albi fortis,
Ceterach ſiue aſplenij,	Vini albi ana ℥.ij.

Trita leuiter coquantur in duplici vaſe vſque ad vini conſumptionem & aceti.

* Ad duritiem, obſtructionem, & dolorem ſplenis vtile eſt, & omnem eius ægritudinem.

¶Oleum Vulpinum Meſuæ.

Recip.vulpem integram exemptis interaneis,
Aquæ fontanæ,
Aquæ marinæ ana q.ſ.
Olei veteris clari lib.iiij.
Salis ℥.iij.
Coquantur, & inter coquendum adijce
Anethi,
Thymi ana lib.i.
Coquantur autem donec ab oſsibus recedat caro, & aqua conſumatur, deinde excoletur oleum & reponatur.

* Ad podagras, reliquasque arthritidis ſpecies, ac dorſi, renumque dolorem eſt efficacisſimum.

¶Oleum Scorpionum ſimplex Meſuæ.

Recip. ſcorpiones num.xxx.
Olei amygdalarum amararum lib.ij.
Macerentur in vaſe vitreo ſtricti orificij probè obſtructo, & inſolentur per dies xxx. caniculares, vel aliàs tota æſtate calidiſsimis diebus, poſteà colatum ad vſus repone.

* Lapidem renum & veſicæ frangit & expellit, lumbis, pubi perinæo illitum, aut per meatum vrinarium iniectum.

¶Oleum Scorpionum compoſitum Meſuæ.

Recip.ariſtolochiæ rotundæ,
Gentianæ,
Cyperi,
Corticum radicum capparis ana ℥.i.
Olei amygdalarum amararum lib.i.s.
Macerentur in oleo contuſæ radices ad Solem feruidum diebus xx.in vaſe vitreo probè obturato: deinde coquantur aliquantulum in duplici vaſe, iniectis ad vltimum ſcorpionibus viuis num.xx.
Iterum ſerenis diebus xxx.inſolentur: poſtremò excolatum oleum reponatur.

* Hoc

* Hoc efficacius eſt priore, præterea mirandarũ eſt virium contra venena omnia & peſtilentiam.

¶Oleum Caſtorei magiſtrale.

Recip. caſtorei,	Coſti ana ℥.ij.
Styracis calamitæ,	Cyperi,
Galbani,	Schœnanthi,
Euphorbij,	Piperis longi,
Caſiæ,	Piperis nigri,
Croci,	Sabinæ,
Opopanacis,	Pyrethri ana ℥.ij.s.
Carpobalſami,	Olei lib.iiij.
Spicæ nardi indicæ,	Vini lib.ij.

Galbanum & opopanacē in vini parte ſeorſim diſſolues, deinde reliqua omnia contuſa cum oleo & reliqua vini parte coques ad vini conſumptionem in duplici vaſe: poſteà cola, & gummi diſſoluta oleo adfundes, & iterum coques in duplici vaſe ad conſumptionem vini, & ſæpius miſcens repone.

* Optimum eſt ad frigidos affectus partium omnium præſertim neruoſarum, medetur paralyſi, ſpaſmo, tetano, & ſedat acerrimos rigores & frigora febrium, ſi ſpina dorſi liniatur.

¶Oleum ex Euphorbio Meſuæ.

Recip. euphorbij ℥.s.
Olei cheyrini ℥.v.
Vini tantundem,
Coque in duplici vaſe ad vini conſumptionem.

* Iuuat maximè frigidos cerebri & neruorum affectus, cephalalgiam, hemicraniam, lethargum naribus immiſſum: articulorum quoque & hepatis & ſplenis dolores illitum iuuat.

¶Oleum Coſtinum Meſuæ.

Recip. coſti ℥.ij.
Caſiæ ℥.i.
Summitatum ſampſuchi ℥.viij.
Vini q.ſ.

Olei oliuarum lib.iij.
Trita macerentur biduo : deinde coquantur in duplici vaſe ad conſumptionem vini.

* Calfacit, obſtructa aperit, neruoſum genus roborat, vt neruos muſculos, tendones, ligamenta, ventriculum : præter hæc, hepar & capillos : canitiem ob id moratur, & corporis colorem ac odorẽ commendat.

¶ Oleum ex Styrace.

Recip. ſtyracis ℥.iij.
Olei communis lib.i.
Vini q.ſufficit.
Coque in duplici vaſe ad vini conſumptionem.

* Calfacit : ob id confert dolentibus à frigore renibus, veſicæ vtero, neruis, muſculis, tendonibus, iuncturis.

¶ Oleum Papauerinum.

Recip. capitum papaueris,
Foliorum papaueris,
Florum papaueris ana partes æquales,
Olei q.ſ.
Inſolato in vaſe vitreo per octiduum : deinde cola, & noua rurſus immitte: idem tertiò facito : poſtremò colatum repone.

* Intemperiem calidam ſanat & inde ortum dolorem: ſomnum quoque conciliat.

¶ Oleum Mandragoræ Nicolai.

Recip. olei communis lib.ij.
Succi { pomorum mandragoræ ℥.iiij.
Hyoſcyami albi ℥.ij.
Papaueris nigri ℥.iij.
Violarum,
Cicutæ ana ℥.i. }
Opij,
Styracis calamitæ ana ℥.s.
Succi cum oleo decem diebus ad Solem maceren-
tur,

tur, deinde coquantur in duplici vaſe ad ſuccorum conſumptionem: cola, & opium cum ſtyrace diſſolutum pauculo oleo probè miſceto,& repone.

*Ad nimios capitis dolores valet, & phreneticis male dormientibus, fronti illitum, & naribus iniectum vehementer opitulatur: pulſibus brachiorum & plantis pedum illitum quocunque modo vigilijs fatigatum,celerrimè obdormiſcere facit.

¶Oleum Nympheatum.

Recip.florum nympheæ ℥.iiij.
Olei omphacini lib.i.
Macerentur in Sole diebus decem: deinde exprime & nouos flores immitte, tertiò idem facito.

*Vires habet violati, refrigerat tamē magis quàm violatum,minus quàm papauerinum: hypnoticis,& intemperiem partium,vt renum,calidam ſanantibus vtiliter miſcetur,& Veneris tentiginem prohibet genitali inunctum: ſomnum etiam conciliat.

¶Oleum Myrtinum Meſuæ.

Recip.ſucci foliorum myrti lib.i.
Olei communis,id eſt,oliuarum lib.ij.
Coquantur in duplici vaſe ad ſucci cōſumptionem, & adde
Ladani ℥.i.
Miſce & repone.

*Cerebrum,neruos,cor,ventriculum roborat.

¶Oleum Lumbricorum.

Recip. lumbricorum terreſtrium lib.s.
Probè lauentur in vino,deinde immittantur in
Olei roſati omphacini lib.ij.
Vini ℥.ij.
Coquantur in duplici vaſe ad vini conſumptionem, colatum repone.

*Neruos infrigidatos confortat,& vtile eſt doloribus iuncturarum.

¶Oleum Balſami Magiſtrale.

Recip.

Recip.terebinthinæ lib.i.
Olei veteris ℥.vi.
Olei laurini ℥.iiij.   Spicæ nardi,
Cinnamomi ana ℥.ij.
Tegularum recentium bene coctarum ℥.viij.
Tritis triturandis, per alembicum deſtilla.

* Vrinam mouet, lapidem frangit, vermes enecat, aurium tinnitui à flatu craſſo, paralyſi, ſpaſmo cynico, iſchiadi, gonagræ, podagræ, & cæterarum iuncturarum doloribus prodeſt, potum aut inunctum: ſed parua eius portio, aquæ affectui aptæ miſta, bibatur.

¶ Oleum Balſami Petri de Ebano.

Recip.myrrhæ,	Sarcocollæ,
Aloës,	Croci,
Spicæ nardi,	Maſtiches,
Sanguinis draconis,	Gummi arabici,
Thuris,	Styracis liquidæ ana ʒ. ij.
Mumiæ,	Ladani,
Opopanacis,	Caſtorei ana ʒ.ij.s.
Carpobalſami,	Moſchi ʒ.s.
Bdellij,	Terebinthinæ ad pondus
Hammoniaci,	omnium.

Tritis cõterendis, miſcentur omnia & alembico deſtillentur ſecundum artem.

* Eadem poteſt quæ præſcriptum & efficacius.

¶ Liquor exſiccans ad Vulnera.

Recip.myrrhæ,	Reſinę abietinæ,
Aloës,	Radicũ cõſolidæ añ.℥.iij.
Thuris,	Gummi elemi ℥.ij.
Maſtiches ana ℥.i.	Croci ʒ.i.
Terebinthinæ lib.ij.	Aquæ vitæ lib.iij.

Contuſis contundendis, & omnibus probè mixtis, immitte in vitreum vas, obſtructo orificio, bulliant omnia in duplici vaſe vna hora: deinde colatum recondatur in phiala vitrea bene obturata.

DE VNGVENTIS, EMPLASTRIS, ET CERATIS.

Sectio decima.

¶ Vnguentum infrigidans Galeni.

Recip. olei roſati omphacini lib. i.
Ceræ albæ ℥. iij.
Ceram in oleo liquabis, & ſæpius aqua frigida lauabis donec albeſcat: poſtremùm aqua roſacea lauato, & paululum aceti roſati addito.

* Refrigerat febres ardentes, calorem hepatis, & ſedat dolores capitis, circum tempora, ſuper hepar, & per ſpinam dorſi linitum.

¶ Vnguentum Pectorale Magiſtrale.

Recip. olei amygdalarum dulcium ℥. iiij.

Olei chamæmeli,	Adipis anatis ana ℥. ij.
Olei violati ana ℥. iij.	Iridis ʒ. ij.
Butyri recentis ℥. vi.	Croci ʒ. s.
Adipis gallinæ,	Ceræ albæ ℥. iij.

Ceram & adipes in oleis liquato, deinde ſæpius lauato aqua Capillorum veneris, aut aqua hordei, His probè lotis, adde iridem & crocum in tenuiſsimum puluerem redacta.

* Mitigat dolores pectoris & tuſsim, digerit, maturat, facilitat ſputim, & reſoluit pleureſim.

¶ Vnguentum ſtomachicum Magiſtrale.

Recip. olei abſinthij.	Cinnamomi,
Maſtichini,	Ligni aloës,
Nardini ana ℥. i.	Maſtiches,
Roſarum rubrarum,	Menthæ,
Coralli rubri,	Schœnanthi ana ʒ. i.
Caryophyllorum,	Ceræ quantum ſufficit.

fiat vnguentum ſecundum artem.

* Ventriculum & hepar roborat, horum dolorem à fri-

à frigido lenit, appetentiam excitat, coctionē iuuat.

¶Vnguentum ad vermes magiſtrale.

Recip. ſucci Abſinthij,
Abrotoni,
Centaurij minoris,
Radicis ariſtolochiæ rot.
Perſicariæ,
Foliorum perſicæ,
Foliorum lupini,
Radicum ebuli,
Balauſtij ana ℥.i.
Succi Porri ℥.ij.
Naſturtij aquatici lib.i.
Olei abſinthij lib. i.s.
Ceræ q.ſ.
fiat vnguentum ſecundum artem.

¶Vnguentum ad oculos Magiſtrale.

Recip. carnis pinguis exſiccatæ,
Maluatici vini ana ℥.iij.
Tutiæ præparatæ ℥.i.
Ceræ albæ q.ſ.
